Lambertini

CASUS CONSCIEN-TIÆ

Tomi I. Pars II.

CASUS CONSCIENTIÆ ANNO MDCCXLIII. *MENSE JANUARII.*

CAS. I. *CApellanus Ruralis ex neglientia Missam celebrat ad longum tempus absque Clericali Tonsura, qua de re a Parocho tanquam gravis culpæ reus corripitur. Q. An jure sic corripiatur.*

Resp. Negative. Cum enim simplicis tonsuræ delatio sub pœna quidem privationis privilegiorum, vel privationis, aut inhabilitatis beneficiorum, non autem sub aliqua forma lethalem culpam indicante præcipiatur, ut in c. 6. sess. 23. Concil. Trid. & in Bullis Sixti V. hac de re editis videre est; dicendum remanet, Capellanũ nostrum nequaquã fore per se loquendo de gravi culpa damnandum. Si tamẽ negligentia Capellani prædicti vel cla-

A rum

rum præseferret Ecclesiasticarum legum contemptum, vel cum rudis populi admiratione, atque scandalo conjugeretur, tunc ratione harum circumstantiarum jure merito a Parocho de gravi culpa correptum fore dicendum est. Ita ex Marchino de Ord. in part. tr: 2. part. 1. c. 6. n. 3. & seq. Dian. moral. instit. part. 2. tr. 4. resol. 183. Henriq. L. 10. c. 11.

CAS. II. *Titius nonnullis gravatus debitis, nec habens, unde ea solvat, cum invenerit Annulum aureum, cujus frustra quæsivit Dominum, & vellet ad solvenda debita annulum inventum insumere. Q. An licite possit.*

Resp. Affirmative. Si enim aliquid obstat, est, quia res inventa, cujus Dominus opportunis etiam adhibitis diligentiis ignotus est, præsertim si illa maneat in propria specie, debet juxta præsumptam Domini voluntatem in pauperes, vel alias pias causas erogari: ex quo videtur, eandem rem insumi non posse pro solvendis debitis, quibus aliunde inventor ipse gravatur. Cum autem Titius in nostro Casu, ex quo non habeat, unde debita solvat, dici possit ex una parte pauper, & ex altera inventum annulum, ne ipse debitor vexetur a Creditoribus, quibus, ex bonis propriis satis facere est impar, possit revera

ra in piam causam insumere, dicendum est, nihil obstare, quin Titius licite agat, utpote qui agit juxta præsumptam incerti Domini voluntatem, annulum aureum insummendo in extinguendis debitis, quibus aliunde satis facere potens non est. Ita Girib. de restit. c. 5. n. 34. Rosig. prænot. 8. n. 2. Lug. disp. 20. n. 5.

CAS. III. *Petrus bona fide per aliquod tempus possedit Agrum, deinde postquam per annum dubitaverit agrum esse alienum, certo alienum esse cognovit. Q. Quid restituere teneatur.*

Resp. Petrum teneri primo ad restitutionem Agri, si Agri ipsius dominium, præscriptionis legitimæ beneficio, non acquisivit. Secundo, detractis expensis, teneri ab restituendos fructus pariter non præscriptos; qui, loquendo de ordinaria præscriptione inter præsentes, sunt fructus correspondens ultimo triennio sive bonæ, sive dubiæ fidei possessionis, dummodo tamen idem Petrus anno dubiæ possessionis moralem diligentiam pro veritate rei inquirenda adhibuerit, in tali enim Casu per dubium superveniens bonæ fidei possessio non interrumpitur, ac proinde neque præscriptionis continuatio impeditur. Quod si Petrus non adhibuit diligentiá prædictam, tunc, cum initio dubiæ possessionis jam evaserit malæ fidei possessor,

annus ille inter utiles ad præscribendum non poterit amplius enumerari. Denique si Petrus bona fide possedit Agrum pro tempore insufficienti ad aliquam sive ipsius Agri, sive ejus fructuum legitimam præscriptionem, dico, Petrum teneri restituere Agrum, totumque id, in quo factus est, ditior integro tempore sive dubiæ, sive bonæ fidei possessionis, cum legitimum titulum non habeat retinendi sive fundum sive fructus ex alieno fundo perceptos, servatis semper regulis expensarum, ut supra dictum est. Ita Girib. de just. & jur. c. 4. n. 76. & 77. Laym. L. 3. tr. 1. c. 8. n. 10. Covarru. §. 7. n. 3.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *Rusticus graviter ab altero vulneratus, quamvis ex denegata pace agnoscat Offensorem suum sumpturum inde occasionem perseverandi in odio, & ira, dicit se quidem ex corde remittere offensam, velle tamen injuriæ sibi illatæ juridicam satisfactionem. Q. An possit absolvi, si in tali proposito perseveret.*

Resp. Affirmative, tam si nomine juridicæ satisfactionis veniat compensatio damni, quod Rusticus in bonis vitæ, & fortunæ passus est, quam si veniat prosecutio actionis coram Judice, donec sequatur punitio Rei. Ratio primi est, quia ne-

mo tenetur cedere juri suo, sed licite potest pro damno sibi illato debitam petere compensationem. Ratio secundi est, quia sicuti Judex, ex motivo punitivæ justitiæ, licite potest injustos aliorum Offensores punire: ita ex eodem motivo peterit offensus licite petere a Judice, ut injuria sibi illata puniatur. Et quemadmodum potest Judex reum punire, etiamsi prævideat illum inde occasionem sumpturum odii, & iræ, ita licet idem prævideat offensus, poterit sui offensoris juridicam petere punitionem, scandalum enim passivum Rei, & offensoris, Judicis, aut offensi delicto imputari non potest. Si itaque Rusticus noster, dimisso vere, & practice omni odio, & affectu vindictæ, ex puro amore, zeloque justitiæ velit injuriæ sibi illatæ juridicam satisfactionem, non est, cur absolvi non possit, etiamsi in tali proposito perseveret. Ita Suar. de Charit. disp. 5. sect. 5. Homob. de exam. tr. 6. c. 25. q. 113. Tambur. L. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 9.

CAS II. *Petronius, qui intra Ecclesiam existens grave vulnus inflixit rustico extra foras Ecclesiæ commoranti, petit a Parocho, utrum in eadem vel in altera Ecclesia immunitatis beneficio valeat gaudere. Q. Quodnam parochi debeat esse ressponsum.*

Resp.

Resp. Cum distinctione. Si grave vulnus, quod Petronius intra Ecclesiam existens inflixit rustico extra fores Ecclesiæ commoranti, ita grave sit, ut secū ferat vel vulnerati rustici mortem, vel alicujus membri mutilationem, Parochi responsum esse debebit, eundem Petronium, secuta morte, aut mutilatione prædicta, non illius tantum, è qua vulnus inflixit, sed cujuscunque etiam alteriusEcclesiæ immunitate pravari, hoc enim expresse colligitur ex Bulla Benedicti XIII. quæ incipit-- Ex quo divina -- Si autem grave vulnus rustico inflictum tale non sit, ut mortem, aut aliquam rustici mutilationem secum ferat, Parochi responsum erit, Petronium tam in illa Ecclesia, è qua patravit delictum, quam in altera quacumque asyli jure gaudere, cum delictum ab eo patratum nubilli per canonicas leges ab asyli jure excludatur.

CAS III. *Cajus non parum avaritiæ deditus, cum horrea frumento plena possideat, in gravis indignationis actum prorupit, ex quo audierit indictas esse publicas preces ad obtinendam pluviam pro ortu satorum. Q. An sufficienter exprimat in Confessione dicendo, se gravem indignationis actum commisisse.*

Resp.

Resp. Negative. Nam in primis debet exprimere, se talem indignationis actum ex motivo avaritiæ commisisse, cum malitia avaritiæ ab illa simplicis indignationis diversa sit. Secundo, etsi Cajus actum indignationis fortasse non elicuerit contra indictas supplicationes, ut sunt res ad Religionem spectantes, sed præcise, quia sunt medium ad pluviam obtinendam pro ortu satorum, adhuc Caji peccatum adnexam sibi videtur habere irreligiositatis malitiam, quæ utpote ab illa indignationis, & avaritiæ diversa, ad Confessionis integritatem exprimenda pariter est. Ita de Pœnit. Auctores communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. *POstquam Berta, de Mariti consensu, cum ejusdem Mariti Fratre copulam habuit, petenti Marito nollet amplius debitum reddere. Q. An jure possit debitum denegare.*

Resp. Negative. Quamvis enim ex quo Innoc. Tertius respondens Præposito Magdeburgensi in Cap. Discretionem tuam de eo, qui cognovit consangvineam, dicat affinitatem post matrimonium inique contractam ei non debere officere, qui hujusmodi iniquitatis particeps non extitit, soleant plures Auctores ex adverso inferre, delictum unius Conjugis alteri

etiam

etiam nocere, quando alter etiam Conjūnx patrati ſceleris conſenſu, vel ſuaſione particeps fuit; adhuc tamen non videtur hoc ita affirmandum, ut Bertæ Maritus in Caſu jure petendi debitum privatus ſit. Tum quia argumentum a contrario deſumptum non eſt efficax in jure ad inducendam pœnam, qualis eſt privatio juris ad petendum debitum, quando talis pœna in jure expreſſa non reperitur. Tum quia crimen commiſſum a conſentiente Marito non vere, & proprie ipſum crimen inceſtus eſt, ſed tantum ſecundario, & reductive, pro quo in laudato capite nulla prædicti iuris petendi debitum privatio impoſita eſt: Cum itaque ex jure clare non conſtet, Bertæ Maritū in Caſu jus petendi amiſiſſe, dicendum eſt, neque Bertam jure merito poſſe marito petendi debitum denegare. Ita Dian. t. 2. tr. 6. reſol. 242. n. 4. Anton. a Sp. S. n. 620. Dicaſtil. & alii.

CAS. II. *Titius, dum abſolvitur, recordatur peccati lethalis quod non aperit Confeſſario niſi poſt prolatam abſolutionem. Q. An valide ſit abſolutus.*

Reſp. Negative per ſe loquendo. Ratio eſt quia Titius in Caſu ſciens, & volens reticuit peccatū aliquod quod antequam integre prolata foret eſſentialis forma abſolutionis confiteri poterat, & debebat, ro-

gando

gando Sacerdotem, ne absolutionem incœptam perficeret, antequam ei novum crimen confiteretur, sicuti ad Sacramenti valorem ex Trid. sess. 14, c. 5. necessarium omnino esse perspicuum est. Cum igitur idem Titius non aperiendo peccatum suum Confessario, nisi post prolatam absolutionem, reddiderit Confessionem dimidiatam, & in materia necessaria non formaliter integram, dicendum est, non fuisse per se loquendo valide absolutum. Dixi, per se loquendo, nam si intervenisset vel perturbatio mentis, quæ ut plurimum solet in Casu contingere, vel bona fides, qua Titius putasset, interrumpendam non esse absolutionem propter reverentiam debitam Judici proferenti sententiam, in tali Casu Titius ita excusaretur, ut valide absolutus censendus foret, a peccatis quidem ante absolutionem expositis directe, ab altero vero indirecte, sicque cum onere illud iterum clavibus subjiciendi, ut per absolutionem directam tollatur. Ita Zuccher. de Sacram. Pœnit. ad Cas. 2. Januar. & communiter.

CAS. III. *Petrus, ne cogatur imperfectam relinquere domum, quam cœpit laute ædificare, cum nequeat alio modo pecuniam invenire, eamdem mutuam sub usura accepit. Q. An licite hoc fecerit.*

Resp.

Resp. affirmative. Nam cum mutuum petere sit petere rem per se indifferentem, & licitam, utpote quæ fieri potest absque peccato, & nonnisi per accidens, & ex malitia alterius occasio peccandi alteri fiat, sequitur, nos non teneri, justa accedente ac rationabili causa, a tali petitione abstinere. Cum autem causa perficiendi domum, quam Petrus cœpit laute ædificare, justa ac rationabilis sit cum secus nequeat Petrus vel commoditatis gratia in domo sua habitare, vel eamdem aliis locare gratia utilitatis, infertur, Petrum posse in Casu, si alia via non possit, ex pecuniis sub usura acceptis incœptam domum perficere. Quando tamen Petrus ita laute domum cepisset ædificare, ut tale ædificium ipsius Petri conditionem, ac statum multum excederet, jam licite prosequi non posset, quod omnino illicite incepisset, & proinde illa cessaret rationabilis causa, propter quam tantum licite pecuniam sub usuris accipere posset, ut dictum est. Ita Suar. de charit. disp. 10. sect. 3. num. 1. & 4. Busemb. L. 2. tr. 3. cap. 2. art. 2. Bonac. de Pec. dist. 2. q. 4. punct. 2. num. 21.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *PAterfamilias tempore carnisprivii ad esum carnium legitime*

time dispensatus, ne plures pararentur mensæ, ad integram familiam facultatem sibi concessam per Medicum extendi curavit. Q. *An licite.*

Resp. negative. Ratio est, quia Paterfamilias curando, ut per Medicum extendatur ad totam familiam facultas circa esum carnium, sibi tantum legitime concessa, ex illo motivo, ne scilicet plures parentur mensæ, Medicum inducit ad id, ad quod jus Medici nullatenus se potest licite extendere; cum ad Medicum quidem spectet judicare de morbis, vel morborum periculis, non autem de inopia, & impotentia parandi plures Mensas; de qua, si vere detur, judicare debet Ecclesia. Dixi, si vere detur; nam æquali, vel forte minori sumptu eo, quo Paterfamilias parcam, & sobriam sibi tantum concessam salubrium carnium Mensam ad integram familiam extendere paratus est, poterit eidem familiæ Mensam alteram in Quadragesimalibus cibis parare, quando ejus necessitati subvenire quærit, non vero gulæ indulgere; ex quo sequitur, quod, cum facultas in Casu a Medico pro familia concessa, dici debeat absque justo motivo, & dolose obtenta, illicite omnino Paterfamilias se gesserit. Ita ex Benedict. XIV. vol. 1. inst. 15.

CAS. II.

CAS. II. *Ex quo quidam Parochus elapsis annis nonnullos Parochianos extra Parœciam in Paschate communicantes non reprehenderit, Paulus hoc anno absque expressa ipsius Parochi licentia in aliena Parœcia Paschali communione refectus est. Q. An Paulus prædictus Paschali præcepto fecerit satis.*

Resp. negative. Ratio est, quia quamvis Parochus elapsis annis aliquos suos subditos extra Parœciam sacram Synaxim sumentes non reprehenderit, adhuc certum est, neminem posse sine expressa Episcopi, vel Parochi sui licentia Paschale Communionis præceptum extra propriam Parœciam adimplere. Hinc cum dici debeat in Casu, vel parochum ex rationabili motivo non reprehendisse Parochianos prædictos, vel pastorali suo muneri non satisfecisse, eosdem Parochianos non corripiendo, nullatenus a violatione Paschalis præcepti ex præterito Parochi silentio potest excusari Paulus noster, dum absque expressa ejusdemmet Parochi sui licentia sacra Synaxi extra Parœciam refectus est. Ita Girib. de Euch. c. 8. n. 28. aliique communiter.

CAS. III. *Medicus non solet suos Infirmos de confessionis peragendæ necessitate admonere, nisi vere judicet eosdem lethali*

morbo affectos fore, ne ipsa admonitio despectui habeatur. Q. An bene se gerat.

Resp. negative. Cum enim Medici omnes, dum doctoralem lauream recipiunt, jurent se se servaturos sancti Pii Quinti Constitutionem, in qua expresse præcipitur, ut cum vocati fuerint ad infirmos, ipsos ante omnia moneant de facienda Confessione Sacramentali, indiscriminatim loquendo de infirmis omnibus in lecto jacentibus, sive lethali morbo affecti sint, sive altero non lethali graventur, sequitur, non bene se gerere Medicum nostrum, qui suos infirmos de Confessionis peragendæ necessitate admonere non solet, nisi vere judicet eosdem fore lethali morbo affectos. Neque satis excusari potest ex adducto motivo, ne scilicet ipsa admonitio despectui habeatur, nam vel hoc non accidit, sicuti non accidit dum infirmi omnes ad Xenodochia accedentes, etiamsi lethali morbo affecti non sint, statim de eorum conscientia per Confessionē Sacramentalē expianda admonentur, vel & si penes aliquē prædicta admonitio despectui haberetur, adhuc alienus defectus Medicum non excusaret, cum hic teneatur, quantum in se est, observantiā a se juratæ Constitutionis incorruptam servare. Ita SS. D. Noster Bened. XIV. vol. 2. Notif. 2.

MENSE MAII.

CAS. I. *CAjus mutuat Menſe Majo decem modios tritici Petro cum pacto, ut ſibi Menſe Auguſto mutuet decem corbas vini, quo ſcit Petrum abundare, & ſibi prævidet defuturum. Q. An talis contractus uſuram involvat.*

Reſp. affirmative. Cum enim, ex generali regula, omne pactum, vel gravamen, ſive onus additum mutuo præter id, quod ei proprium, & intrinſecum eſt, reddet contractum uſurarium, ſequitur uſuram involvere contractum illum, quo Cajus mutuat Menſe Majo decem modios tritici Petro cum pacto, ut ſibi viciſſim mutuet Menſe Auguſto decem corbas vini, quo ſcit Petrum abundare, & ſibi prævidet defuturum: obligatio enim iſta, quæ pretio æſtimabilis eſt, importat onus additum mutuo ultra id, quod mutuo proprium, & intrinſecum eſt, ut clare patet. Ita La Croix L. 3. p. 2. de uſur. dub. 7. q. 151. n. 905. Bonac. diſt. 3. quæſt. 3. punct. 3. & alii.

CAS. II. *Duo Ruſtici tempore Miſſæ de præcepto, de domeſticis eorum negotiis per notabile quidem tempus, ſed interpolate, ad invicem collocuti ſunt. Q. An præcepto audiendi Sacrum ſatisfecerunt.*

Reſp. negative. Ratio eſt, quia cum locutio,

locutio, licet interpolata, de domesticis negotiis per notabile tempus habita excludat per notabilem Missæ partem attentionem externam ab Ecclesia præceptam, per quam quis efficitur religiose assistens, & moraliter præsens Sacro, dicendum est, non servari cum locutione prædicta substantiam actus ab Ecclesia imperati, sicque præceptum de audienda Missa non adimpleri. Hinc sicuti non satisfaceret Ecclesiæ præcepto ille, qui interpolate discederet, & rediret, dummodo discessus etiam interpolatus notabili Missæ parti corresponderet: ita eidē præcepto non satisfaciunt rustici, qui de domesticis eorum negotiis per notabile spatium notabili Missæ parti correspondens ad invicem locuti sunt. Ita Gobat. n. 288. La Croix n. 653. Pasqualig. tom. 2. q. 1324. n. 6. & seq.

CAS. III. *Judex anceps, cuinam parti adjudicet quamdam hæreditatem ob rationes, quas pro utraque parte putat æquales, illam tandem adjudicat parti, quam sibi magis in alio negotio profuturam sperat.* Q. *An hoc fieri possit sine læsione justitiæ.*

Resp. negative. Si enim Judici liceret in Casu totum adjudicare illi parti, quam sibi magis in alio negotio profuturam sperat, licitum æquali jure esse posset ei-

dem Judici pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio, quando litigantes pro ſe opiniones æque probabiles habent, quod poſt jam profligatam ab Alex. VII. propoſitionem dici amplius nequit. Si igitur poſt accuratam cauſæ diſcuſſionem, inſpectisque cum juris, tum facti momentis pro utraque parte adductis, Judex adhuc anceps eſt, cuinam parti hæreditatem adjudicet, debebit vel partium conſenſu Arbitros deputare, vel ſuadere, aut imperare compoſitionem, ita ut tandem cuilibet parti dimidium hæreditatis adjudicetur; ſecus nonniſi injuſte eumdem Judicem agere dicendum eſt. Ita Anacl. de act. hum. diſt. 3. n. 62. aliique communiter.

MENSE JUNII.

CAS. I. *DUM inſpectis Doctrina, & pietate Capellani Ruralis nonnulli ex Parochianis jurarunt, ſe non alium præter ipſum in demortui Parochi Succeſſorem nominaturos, alter ſimul proponitur Sacerdos, qui Eccleſiæ utilior cenſetur. Q. An ſecundus Sacerdos licite poſſit ab omnibus in Parochum nominari.*

Reſp. affirmative. Cum enim ex fine primario inſtituendi Eccleſiaſtica beneficia, qui fuit major Dei cultus, & majus Eccleſiæ bonum clare conſtet, in electione ad

ad beneficia, præſertim Parochialia, adeſſe obligationem ſub gravi eligendi digniores, illos nempe, qui utpote magis idonei ad promovendam ſpiritualem proximi utilitatē, & ad conſervanda legitima Eccleſiæ jura, ipſi etiā Eccleſiæ utiliores exiſtimantur; manifeſtū eſt, a fortiori, licite poſſe Parochianos in demortui Parochi Succeſſorē nominare Sacerdotē illum, qui cæteris paribus Eccleſiæ utilior cenſetur. Neque obſtat, quod Parochiani juraverint, ſe non alium præter Capellanum in demortui Parochi Succeſſorem nominaturos, quia juramentum prædictū, accedente Sacerdote digniori, non tenet, cum majori Divino cultui, Eccleſiæque utilitati adverſetur. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 1. De Lugo diſp. 35. de juſt. & jur. ſect. 2. num. 10. Anacl. tract. 11. num. 43.

CAS. II. *Capellanus, qui per ſinceram promiſſionem a duobus ex tribus Compatronis acceptam, certus eſt, Parochiali Beneficio ſe fore præſentandum; ut majori honore eligatur, tertium etiam Compatronum aliquo non levi munere ad ipſummet præſentandum inducit. Q. An absque labe aliqua Simoniæ hoc egerit.*

Reſp. negative. Cum enim ex com-

muni Theologorum, & Canoniſtarum Doctrina Simoniam committat, qui dat temporale pro ſpirituali, vel econtra; nequit a Simoniæ labe excuſari ille, qui ut ad Parochiale beneficium eligatur, aliquē ejusdemmet beneficii Compatronum ad ſui præſentationem non levi munere inducit; ſic enim verificatur, quod per temporale paret ſibi viam ad ſpirituale, in quo Simonia conſiſtit. Neque refert, quod Capellanus in Caſu munus præbeat tertio Compatrono præciſe, ut majori honore eligatur, cum per ſinceram promiſſionem a duobus aliis compatronis acceptam certo credat, ſe fore Parochiali Beneficio præſentandum, nam cum duos alios Compatronos, vel aliquem ipſorum poſſit adhuc pœnitere factæ promiſſionis, inducendo per non leve munus tertium Compatronum ad ſibi favendum, ſub ſpecie majoris honoris, ſternit ſibi viam ad Beneficium certius acquirendum, quod a Simoniæ labe excuſari non poteſt. Ita quoad ſubſtantiam Suar. Bonc. & alii.

CAS. III. *Sejus perfecte adoptatus in Filium a Titio, mortuo Titio, vellet matrimonium contrahere vel cum Berta Titii Filia, vel cum Roſa, quæ ipſius Titii Uxor fuit. Q. Bertamne, an Roſam ducere poſſit.*

Reſp.

Resp. Bertam ducere posse, non Rosam. Ratio primæ partis est, quia licet cognatio legalis orta ex perfecta adoptione etiam in linea transversali dirimat Matrimonium, & proinde nequeat Matrimonium contrahi inter filias adoptantis & adoptatum; hoc tamen verum est solum pro tempore, quo durat patria potestas; ideoque hac soluta, vel morte adoptantis, vel emancipatione filiorum, potest adoptatus Filiam naturalem adoptantis ducere, vel Filius naturalis adoptantis Filiam ducere adoptatam. Ratio secundæ partis est, quia cum inter adoptatum & uxorem adoptantis, vel adoptantem & uxorem adoptati cognatio legalis sit ad instar affinitatis carnalis, parit impedimentum perpetuum, adeo ut nunquam possit adoptatus Matrimonium contrahere cum uxore adoptantis, & econtra, cum semper duret reverentia debita tali modo conjunctis, super qua ex antiqua Ecclesiæ consvetudine tale impedimentum fundatur. Ita ex Rosig. n. 13. & 15. Sanch. disp. 63. n. 28. & 30. Girib. de Matrim. c. 12. n. 44. & 45.

MENSE JULII.

CAS. I. *Quidam capitis pœna bannitus accedens ad simplicem Confessarium confessus est, petens suorum crimi-*

num absolutionem. Cum tamen pluribus Censuris, & Casibus reservatis innodatus existeret, noluit illi Confessarius absolutionis beneficium impertiri. Q. An bene Confessarius se gesserit.

Resp. negative. Ratio est, quia sicuti potest princeps, & Respublica, ob difficultatem capiendi capitis pœna Bannitos, quemlibet in Ministrum & executorem sententiæ in illos latæ deputare; ita potest hoc titulo quilibet de populo, tanquam Minister justitiæ a Republica constitutus, eosdem Bannitos licite occidere, & quidē etiam proditorie, & per insidias, si alia via eos occidendi non suppetat. Ex hoc autem, quod capitis pœna Bannitus possit licite a quocumque occidi, præsertim si intra proscribentis territorium reperiatur, infertur, eundem bannitum, si aliunde sit bene dispositus, a quolibet etiam simplici Confessario absolvi posse, utpote qui semper versatur in satis probabili mortis periculo, pro quo ex Tridentini Doctrina nulla est sive Censurarū, sive criminum reservatio. Male proinde se gessit Confessarius in Casu, qui ratione Censurarum, & casuum reservatorū, noluit bannito petenti absolutionis beneficium impertiri. Ita Homob. tom. 1. consult. part. 2. resp. 120. Bossius mor. nar. tit. 5. n. 12. De Lugo disp. 10. n. 82.

CAS. II. *Cum imposuerit Petro Confessarius pro Sacramentali satisfactione, ut per Mensem quolibet die festo duas Missas audiret, Petrus propriæ negligentiæ indulgens, pro adimplenda sibi imposita satisfactione, solitus fuit duas Missas in duobus Altaribus eodem tempore celebratas audire. Q. An Petrus propriæ satisfecerit obligationi.*

Resp. negative. Quamvis enim possit quis eodem tempore, & actu satisfacere pluribus obligationibus, quando aliter non constet de mente imponentis obligationes, adhuc tamen quando aliter constat, nonnisi diverso tempore, & actu repetitis obligationibus satisfieri posse dicendum est. Cum igitur Confessarii, imponentes pro Sacramentali satisfactione auditionem plurimum Missarum, intendant communiter imponere onus audiendi plures Missas diversis temporibus, ut apparet ex communi sensu Confessariorum, & praxi pœnitentiū, satis perspicuum est, Petrum, qui pro adimplenda sibi imposita satisfactione de audiendis quolibet die festo per Mensem duabus Missis, solitus fuit, propriæ negligentiæ indulgens, duas Missas in duobus altaribus eodem tempore celebratas audire, nequaquam obligationi sibi impositæ satisfe-

tisfe-

tisfecisse. Ita Joan. de Lugo de Sacr. Euchar. disp. 22. sect. 1. n. 10. Turrian. disp. 16. part. 2. dub. 7. Girib. de obser. fest. c. 2. n. 18.

CAS. III. *Rusticus tanqnam gravis Sacrilegii reus arguitur a Confessario, quia cum recordatus fuerit unius lethalis peccati in ultima Confessione obliti, dum erat proxime recepturus sacram Synaxim, hanc recepit, quin saltem Contritionis actum præmiserit. Q. An jure ita arguatur.*

Resp. negative: si enim rusticus, dum recordatus fuit lethalis peccati in Confessione prævia obliti, non poterat recedere a sacra Mensa, quin circumstantibus præberetur occasio temere judicandi contra ipsum; in tali casu, cum jam per præviam Confessionem formaliter integram fuerit etiam a peccato lethali oblito indirecte absolutus, nullam habuit obligationem præmittendi Contritionis actum, ut licite ad sacram Mensam accederet. Si vero rusticus idem obliti peccati memor recedere poterat a loco, in quo proxime recepturus erat sacram Synaxim absque supradicta sui infamatione, vel proximi admiratione, ut facile contingere potest, cum plures solent in praxi recedere, vel se retrahere ab altari, etiam dum actu administratur venerabile Sacramentum, quin

quin aliqua ſequatur infamia, vel admiratio, tunc recedere debuit ab altari, ut, præmiſſa nova Confeſſione peccati obliti, ad ſacram Synaxim opportuna accederet diſpoſitione; & ita ruſticus jure merito pro non præmiſſo Contritionis actu arguendus fuit. Ita Girib. de Euchar. c. 4. n. 29. Suar. diſp. 66. ſect. 4. Bonac. diſp. 4. q. 4. punct. 1. n. 17. & 18. Tambur. l. unic. c. 1. §. 8. n. 61. & 72.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Titio Clerico aſſignata fuerunt in patrimonium omnia paterna bona, annuatim reddentia aliquid plus ultra taxam ducentarum librarum, cum onere tamen alendi Patrem ſenem, quousque vivat. Q. An tale patrimonium poſſit ut legitimum approbari.*

Reſp. negative. Ratio eſt, quia ut patrimonium poſſit tanquam legitimum approbari, debet conſtitui ſuper bona ſtabilia libera, & juxta Synodales leges ducentarum librarum fructuum annuatim reddentia. Hoc autem de bonis Titio Clerico a Patre ſene in Patrimonium aſſignatis nequaquam verificatur: quamvis enim, ut inquit Caſus, prædicta bona aliquid plus ultra taxam reddant; cum vero aliquid plus non denotet ſummam ſufficientem ad integram Patris ſuſtentationē,

ſed præciſe partem aliquam diminutam ſuſtentationis, clare apparet, quod deducta integra Patris ſuſtentatione, integrum non remanet pro filio patrimonium ducentarum librarum; ſicque conſtat; patrimonium prædictum nequaquam poſſe tanquam legitimum approbari. Ita ex Notif. 6. vol. 2. SS. D. N. Bened. XIV. edita 1. Febr. an. 1734.

CAS. II. *Berta ex Pauli mandato rapta a Sejo, Sejum potius quam Paulum in Conjugem ducere parata eſt. Q. An Sejum ducere poſſit.*

Reſp. affirmative. Cum enim rapiens nomine alterius dicatur quidem auxilium, & favorem raptui præbere, non vero committere raptum; ſequitur, Sejum, qui non pro ſe rapuit Bertam, ſed præciſe pro Paulo, & ut ipſiusmet Pauli mandatum exequeretur, non poſſe dici, nec vere eſſe raptorem. Cum autem ex alia parte impedimentum raptus dirimens Matrimonium non oriatur, ut conſtat ex Tridentino ſeſſ. 24. c. 6. niſi inter raptam, quamdiu eſt in manu raptoris, & ipſum verum Raptorem, qui in caſu noſtro eſt ſolus Paulus raptum mandans, non vero Sejus mandati executor, clare infertur, inter Sejum & Bertam nullum raptus impedimentum adeſſe, ratione cu-

jus

jus nequeat inter eosdem, si mutuo consentiant, Matrimonium valide celebrari. Ita Girib. de imped. raptus n. 61. Avers. q. 12. sect. 3. aliique communiter.

CAS. III. *Petrus nonnulla gravia peccata confessus est ex dolore quidem offensæ Deo illatæ, sed sine proposito formali, & expresso ea vitandi in futurum; imo actu judicans, se quamprimum in eadem crimina relapsurum. Q. An prædicta Confessio absolute invalida dicenda sit.*

Resp. negative. Ratio desumitur ex Tridentino sess. 4. cap. 4. decernente, quod ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem nil aliud requiratur, quam dolor ex motivo supernaturali conceptus, qui voluntatem peccandi excludat. Cum autem tam bene excludet voluntatem peccandi propositum formale, & explicitum, quã propositum virtuale, & implicitum, inclusum in dolore universali, qualis est dolor de offensa bonitate divina, dicendum est, defectum formalis propositi invalidam non reddere Confessionem. Neque illa non peccandi voluntas in Sacramento Pœnitentiæ requisita vitiatur per judiciũ, quo quis judicat se brevi in eadem crimina relapsurum; nam cum propositum sit actus voluntatis, & judicium sit actus intellectus, nullam dicunt ad

invicem

invicem ex natura ſua oppoſitionem, cū videamus, quod etiam in hominibus ſanctis ſtet cum bono propoſito juſtus timor, ne ex vertibilitate voluntatis humanæ de bonis in malos mutentur. Dixi ex natura ſua, qui ſi de hominibus fragilioribus ſermo ſit, timor de futuro relapſu præſtare poteſt, ut in propoſito ita nutent; ut ex hujus defectu ipſa Confeſſio omnino invalida dicenda ſit. Ita Zucher. de pœnit. ad cal. 1. & Jun. num. 12. & 29. & alii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *JUlia vidua, cum ex occulta fornicatione reddita fuit prægnans, verita, ne ejus turpitudo, turgeſcente ventre, aliorum oculis pateſiat, ita domi ſe continet, ut etiam diebus feſtis ab audienda Miſſa abſtineat. Q. An Sacrum non audiens poſſit a gravi culpa excuſari.*

Reſp. affirmative, dummodo non poſſit ſine ſuæ turpitudinis nota ſummo mane, aut in aliquo Oratorio remoto Miſſam de facili audire. Ratio eſt, quia quotiescumque non poteſt quis absque propriæ famæ læſione præceptun aliquod ſervare, ad idem ſervandum non tenetur, præſertim ſi tale præceptum ſit Eccleſiaſticum, quale eſt illud de Miſſa audienda in die feſto; cum Eccleſia, utpote pia Mater, ſubditos ſibi fideles non intendat cum

gravi eorum incommodo obligare. Cum itaque Julia vidua grave ſubiret incommodum, ſi cogeretur, occaſione audiendæ Miſſæ in die feſto, propriam turpitudinem ex turgeſcente ventre aliorum oculis patefacere, dicendum eſt, non teneri in Caſu Miſſam audire; ideoque Sacrum non audiens, etiam in die feſto, ab omni, ſicque multo magis a gravi culpa excuſari. Ita Paſqualig. de Sacrif. tom. 2. q. 1336. n. 4. March. de ord. tr. 5. p. 3. cap. 17. n. 19. Laym. L. 4. tr. 7. c. 4. n. 16.

CAS. II. *Franciſcus interrogatus a Confeſſario de numero peccatorum mortalium, reſpondet, ſe nunquam fuiſſe ſolitum illum exprimere. Q. An Confeſſiones præteritas repetere teneatur.*

Reſp. cum diſtinctione. Vel Franciſcus ſolitus fuit non exprimere numerũ peccatorum ex ignorantia prorſus inculpabili, aut ſaltem non graviter culpabili, vel ex malitia, ſeu ignorantia graviter culpabili. Si dicatur primum, Franciſcus non videtur abſolute obligandus ad repetendas confeſſiones præteritas, cum ſilentium inculpabile, vel tantum leviter culpabile circa numerum peccatorum lethalium, ſi ipſa peccata expoſita ſint in genere, vel ſpecie una cum dolore uni-

verſali,

versali, & sincero proposito de cætero, ipsiusmet Confessionis valorem non vitiet, ut in Confessione moribundi, aliisque Casibus manifestum est. Dixi, non videtur absolute obligandus ad repetendas Confessiones præteritas; nam saltem in confuso nunc, dum est admonitus, tenetur exprimere multitudinem numericam peccatorum, quam reticuit, ut sic, quantum potest, peccata sua, prout ea habet in conscientia, in Confessione præsenti exponat. Si postea dicatur secundum, jam ex se patet, Confessiones præteritas nullas esse, imo fuisse sacrilegas, & proinde a Francisco, si modo velit valide confiteri, integre, quantum fieri potest, repetendas fore. Ita Cleric. de Pœnit. decis. 31. n. 4. & 5. Zucher. cas. 1. Febr. n. 18. Girib. c. 11. n. 4. & seq.

CAS. III. *Joannes raptus amore Franciscæ, eidem quadam die ante Imaginem Divi Antonii dixit: Ego, teste hac sacra Imagine, duco te in Uxorem; illa vicissim respondente: & ego duco te in Maritum; inde post mensem idem Joannes infirmatur, & moritur. Q. An Francisca mortuo Joanne, possit cum Cajo Joannis Fratre Matrimonium contrahere.*

Resp. negative. Licet enim certum sit, promissionem inter Joannem & Francis-

ſcā non habere valorem vel Matrimonii, cum defuerit præſentia Parochi, & teſtiū, ex Tridentini lege neceſſario requiſita, vel ſponſaliorum, cum hæc contrahantur per verba de futuro, non de præſenti; adhuc tamen, cum conjugium, in Caſu attentatum, invalidum ſit defectu ſolemnitatis a Concilio requiſitæ, non vero defectu conſenſus, dicendum eſt, oriri ex ipſo impedimentum publicæ honeſtatis, cum hoc etiam a Matrimonio invalido, dūmodo tale non ſit defectu conſenſus, ex ſatis communi Doctorum mente oriatur. Poſito autem prædicto publice honeſtatis impedimento, clarum eſt, mortuo Joanne, Franciſcam nequaquam poſſe cū Cajo Joannis fratre Matrimonium contrahere. Ita Girib. tr. 10. c. 13. n. 33. Benac. q. 3. punct. 11. n. 18. Dian. part. 9. tr. 6. reſol. 53.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *POenitens, cui fuit impoſita a Confeſſario eleemoſyna pauperi elargienda, pecuniam pro eleemoſyna deſtinatam inſumpſit in alenda Matre paupere, etſi eidem Matri ex alio titulo alimenta præſtare deberet. Q. An obligationi a Confeſſario impoſitæ ſatisfecerit.*

Reſp. negative. Ratio eſt, quia cum Filius jure naturalis pietatis teneatur Matri

cri alimenta præbere, dum Matri fit elargitio pecuniæ pro eleemosyna destinatæ, nequit amplius proprie dici eleemosyna, cum dici potius debeat solutio debiti legalis, ad quam solutionem potest per Judicem Filius compelli casu, quo hic sit satis dives, ut solvere possit. Cum itaque mens Confessarii, imponentis pœnitenti, ut eleemosynam pauperi largiatur, non sit mens imponendi alicujus legalis debiti solutionem, bene vero opus satisfactorium, ad quod alio titulo ipse pœnitens non teneatur, dicendum est, pœnitentem in nostro Casu, qui in alenda Matre paupere pecuniam insumpsit, quam tenebatur in eleemsynam elargiri, obligationi sibi a Confessario impositæ nequaquam satisfecisse. Ita Cleric. de pœnit. decis. 34. num. 11. Surd. de aliment. tit. 7. q. 37. Dian. part. 6. tr. 4. resol. 54.

CAS. II. *Fictus mendicus secus viam sedens omni externo conatu per Christi vulnera transeuntes adjurat, ut ipsi eleemosynam præbeant. Q. An usu dictæ adjurationis graviter peccat.*

Resp. negative; quamvis enim fictus mendicus contra religionem peccat, eleemosynam per Christi vulnera in falsa mendicitate implorans; adhuc tamen, cum suppo-

ſupponatur in ipſo ficto mendico animus, & voluntas obtinendi quod petit, non ita vane & irriſorie Chriſti vulnera conteſtatur, ut graviter lædatur divinus honor, & proinde neque ut idem fictus mendicus gravis culpæ reus in uſu dictæ adjurationis dicendus ſit. Dixi, in uſu dictæ adjurationis; nam ſi fictio mendici in grave proximi damnum cederet, ut eveniret, ſi ille copioſam eleemoſynam a tranſeuntibus conſequeretur, tunc certe graviter peccaret, non quidem contra religionem, ſed contra juſtitiam, unde & obligationem haberet reſtituendi pecuniam, quam ſub eleemoſynæ titulo recepiſſet. Ita Palao diſp. 4. punct. 1. num. 5. Cleric. in erotem. c. 42. q. 5. & 6. Tambur. L. 5. in Decal. c. 8. §. 1. n. 4.

CAS. III. *Cum Parochus loci aquis Rheni circumdati frequenter laboret capite, relicto in Parœcia idoneo Sacerdote, qui ejus vices ſupplere valeat, ſolet Menſibus Julio, & Auguſto in alio non valde diſtante ſalubriori loco morari.* Q. *An in conſcientia ſit tutus.*

Reſp. negative. Tum quia Parochus, ex quo propter aeris intemperiem frequenter laboret capite, non inde habet cauſam ſufficientem, quæ ipſum a reſidentia excuſat, ut conſtat ex Sacræ Congreg. Decretis

Decretis sive anno 1573. sive die 7. Julii an. 1604. hac de re emanatis. Tum quia licet aeris intemperies a residentia excusaret, non potuisset adhuc Parochus noster, etiam relicto in Parœtia idoneo Sacerdote, ab eadem absque expressa Ordinarii licentia per duos menses abesse, ut pariter juxta formam Concil. Trid. sess. 23. c. 1. Sacra Congreg. sub die. 7. Octob. anni 1604. decrevit. Cum itaque in nostro Casu nulla fiat mentio dictæ facultatis ab Ordinario expresse obtentæ, dicendum est, Parochum, qui solet mensibus Julio & Augusto in alio a Parœcia non valde distante salubriori loco morari, in conscientia tutum non esse, ut ex erudita SS. D. Nostri Bened. XIV. Instructione sub die 6. Martii anno 1733. diffuse videre est.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Cum parvam dumtaxat plateam distet a Parochiali Ecclesia Domus cujusdam Rustici, putat hic satisfacere præcepto diei festi, Missam audiens e fenestra Domus suæ, unde Celebrantem commode intuetur. Q. An verum putet.*

Resp. negative. Ratio est, quia si fenestra domus per plateam, licet parvam, sejuncta est ab Ecclesia, audiens Missam e tali fenestra, nisi adsit tanta populi multitudo,

multitudo, ut ab Ecclesia ad Rustici domũ pertingat, neque physice, neque moraliter dici potest Sacrificio assistens, & præsens, sicuti ad satisfaciendum præcepto diei festi necessarium est. Cum enim præsentia fundetur non in majori, vel minori distantia, sed in communicatione locorum, si loca ex eorum dispositione ita separantur, ut invicem non communicent, excluditur non solum physica, sed etiam moralis præsentia, quamvis per accidens per sensus percipiatur, quid fiat, ut contingit in his, qui in duobus ejusdem domus cubiculis solo pariete medio separatis reperiuntur, qui quamvis se ipsos loquentes ad invicem audiant, non tamen sibi ipsis præsentes vel physice, vel moralter sunt. Quamvis itaque Rusticus a fenestra suæ domus commode Celebrantem valeat intueri; adhuc, cum nequeat dici, quod sit intra Ecclesiam, vel sit pars multitudinis Sacrificio in Ecclesia peracto assistentis, dum putat se e tali loco satisfacere diei festi præcepto, falsum putare dicendum est. Ita Pasqual. tom. 2. q. 1304. n. 5. Rosign. ar. 11. & alii.

CAS. II. *Rosa juvenis Bononiensis cum a nonnullis mensibus ad Mutinensis Diœcesis locum non valde distantem transierit; receptis ab Ordinario Bononiensi liberi sui*

ſtatus atteſtationibus, matrimonium ibi contraxit. Quod intelligens Bononienſis Parochus, ſub quo Roſa habet domicilium paternum, judicat, Matrimonium a Roſa contractum nullum eſſe. Q. An rectum ſit Parochi Bononienſis judicium.

Reſp. negative. Ratio eſt inprimis, quia ad Matrimonii valorem non requiritur, quod contrahatur coram Parocho ſponſæ, cum poſſit æqualiter contrahi coram Parocho viri, & proinde licet Roſa habeat domicilium paternum ſub Parocho Bononienſi, adhuc poteſt valide in Mutinenſis Diœceſis loco Matrimonium contrahere, ſi ibi ſponſi ſui domicilium reperitur. Secundo, quia cum dicatur, quod Roſa a nonnullis menſibus ad Mutinenſis Diœceſis locum tranſierit, jam animum habere potuit ibi figendi domicilium, vel quaſi domicilium acquirendi, in qua hypotheſi poteſt etiam valide Matrimoniū contrahere coram Parocho illo, ſub cujus Parœcia Roſa ipſa moratur. Qua de re Parochus Bononienſis, licet habeat in propria Parœcia domicilium paternum Roſæ, adhuc non recte judicat, Matrimonium ab eadem Roſa in Mutinenſi loco contractum, nullum eſſe. Ita ex declarat. Sacræ Congr. ſub. an. 1573. L. 1. decret. pag. 125. ut ex inſtruct. 15. volum. 2. Bened. XIV. clare apparet. CAS. III.

CAS. III. *Postquam Lucius Matrimonium cum Livia contraxit, certior factus est, ipsum a prima juventute in Liviæ Baptismo Patrini munus exercuisse. Q. Quo sit recurrendum, ut Matrimonium prædictum sanetur.*

Resp. cum distinctione. Si impedimentum cognationis spiritualis, de quo certior factus est Lucius, cæterorum quoque notitiæ perventum est, ita ut occultum dici non possit, ad Datariam faciendus est recursus, ut Matrimonium invalide contractum sanetur, cum sacra Pœnitentiaria nullâ circa impedimenta publica habeat facultatem. Si autem dictæ cognationis impedimentum publicum, aliisque notum non sit, tunc pro revalidando hujusmodi Matrimonio ad sacræ Pœnitentiariæ tribunal recurrere satis est. Cum enim loquendo de impedimentis occultis, a quorũ dispensatione, vigore Bullæ Innocentii XII. abstinere debet major Pœnitentiarius, enumeretur illud cognationis spiritualis solummodo, quando sermo est de Matrimoniis contrahendis, non vero quãdo sermo sit de Matrimoniis contractis; sequitur, quod si impedimentum in nostro Casu occultum sit, possit Matrimonium cum tali impedimento contractum per simplicem summi Pœnitentiarii dispensa-

tionem ſanari. Ita ex inſtruct. 20. tom. 4. SS. Domini Noſtri Bened. XIV. feliciter regnantis.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *Cajus mutuo dans Petro ſummam auri, obligat ſeſe ad eam intra triennium non repetendam: Sed quia probabiliter putat, aliquod lucrum ceſſans, vel damnum emergens ſibi tali tempore eventurum, tria pro quolibet centenario annuatim petit. Q. An ſine labe uſuræ hoc petere poſſit.*

Reſp. affirmative. Quamvis enim mutuans nequeat aliquid recipere vel pro ſola carentia pecuniæ, vel pro obligatione pecuniam non repetendi intra triennium; poteſt tamen aliquid recipere pro damno probabiliter emerſuro, aut pro lucro intra prædictum tempus probabiliter ceſſaturo, quanti ſcilicet arbitro prudentis poteſt hoc periculum æſtimari; cum mutuans non teneatur cum ſui probabili detrimento beneficium ex ſua pecunia mutuatario præbere. Cum igitur Cajus mutuans nullatenus ſervetur indemnis niſi mutuatarius ſe obliget ad compenſandum integrum damnum, quod ex mutuata pecunia eidem Cajo forte emergat, aut lucrum, quod ceſſet; ſi tria pro quolibet centenario ſpei lucri, vel probabilitati

damni

damni commensurantur, poterit ea Cajus annuatim licite petere & hinc ab omni usuræ labe excusari. Ita P. Viva in expos. prop. 42. ab Alex. VII. proscriptæ, aliique.

CAS. II. *Antonius, dum male ageret cum Seja, invasus fuit stricto ense à Titio Sejæ Marito. Qua de re, putans alia via non posse vitam propriam tueri, Titium præveniendo occidit. Q. An per talem occisionem irregularitatem incurrerit.*

Resp. negative. Ratio est, quia licet Antonius deprehensus fuerit in adulterio cum Seja Titii uxore, tamen fuit adhuc injuste a Titio invasus ad mortem, cum hic non possit vel uxori in adulterio deprehensæ, vel Antonio cum eadem adulteranti mortē propria auctoritate inferre, ut constat ex 19. ab Alex. VII. proscripta propositione; sicque cū idē Antonius, etsi propria culpa causam dederit homicidio, potuerit jure naturæ & vitam propriam tueri, potuit etiam licite, alio deficiente modo sese defendendi, invasorem suum præveniendo occidere. Cum autem ex Clement. *Si furiosus* de homic. absolute, & absque ulla distinctione habeatur, quod irregularitatem nequaquam incurrat, qui suum invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ se se defendendo occidit, sequitur,

ſequitur, Antonium, occidendo invaſorem Titium, irregularitatem nullatenus incurriſſe. Ita ex Leſſ. L. 2. cap. 9. dub. 1. n. 237. Dian. part. 5. tr. 5. reſol. 47. Girib. in 5. Decal. præcep. c. 1. n. 43.

CAS. III. *Vetula minis, ac verberibus territa, maleficio in catellum translato, deſtruxit maleficium, quod ad perdendum Titii puerulum jam paraverat. Q. An hoc contigerit absque novo peccato.*

Reſp. cum diſtinctione. Si ſermo ſit de Vetula deſtruente maleficium jam paratum in puerum medio maleficio translato in catellum, dicendum eſt, factum hoc non contigiſſe absque novo peccato. Ratio eſt, quia adhibere novum maleficium, vel maleficium trāsferre de puero in catellum, cum ſit magicæ artis uſus, tacitam, vel expreſſam involvens dæmonis invocationem, eſt res intrinſece mala, quæ proinde, ad evitandum etiam quodcumque grave ſibi imminens damnum, nunquam licite poteſt executioni mandari. Si vero ſermo ſit de Antonio, qui minis, ac verberibus vetulam induxit ad deſtruendum maleficium, quod ad perdendum ejus puerum jam paraverat, reſpondendum eſt, quod Antonius, dummodo judicaverit poſſe vetulam deſtruere maleficium paratum in puerum absque nova dæmonis

ope,

ope, novoq; maleficio, eamdem ad hoc præstandum licite cogere potuit minis etiam, atque verberibus, si aliud remedium non suppetebat, quia mens Antonii in Casu fuisset curare dumtaxat puerum, evertendo diaboli opera, vetulæque maleficæ execrando impietatem, quod quam maxime licitum dicendum est. Ita ex Anacl. tr. 5. dist. 2. q. 5. n. 49. & 50. Less. L, 2. c. 8. dub. 8. n. 48. Girib. loco. cit. sup. n. 49.

ANNO MDCCXLIV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *Titius habens votum castitatis, confessus est se commisisse peccatum Fornicationis, non aperiendo ex oblivione circumstantiam voti: inde putavit errorem corrigere in nova Confessione, dicendo: Violavi votum castitatis in re gravi, non explicando Fornicationem. Quær. An hæc secunda Confessio errorem primæ sufficienter correxerit.*

Resp. affirmative. Quamvis enim non liceat circumstantiam peccati tanquam novum distinctumque peccatum in eadem Confessione aperire, quia tunc pro uno individuo peccato ad duplicem moralem speciem pertinente subrogaretur duplex numero peccatum, quod non esset confiteri peccatum commissum, sed alia non

commissa;

commiſſa; adhuc tamen, quando in una Confeſſione expoſita eſt una malitia peccati, & ex oblivione omiſſa eſt alia malitia ejusdem, tunc ſufficit, quod in ſecunda Confeſſione hæc poſterior duntaxat malitia exponatur, perinde ac ſi eſſet peccatum phyſice a primo diſtinctum. Hinc eſt, quod Titius, qui voto caſtitatis obſtrictus confeſſus eſt ſe commiſiſſe peccatum Fornicationis, non aperiendo ex oblivione circumſtantiam voti, dicens in ſecunda Confeſſione, ſe in re gravi violaſſe votum caſtitatis, etiam non expreſſa Fornicatione, errorem primæ ſufficienter correxit. Ita de Lug. diſp. 16. de pœnit. num. 652. Dian. part. 1. tr. 7. reſ. 45. Viva prop. 50. ab Innoc, XI. damnat. num. 1.

CAS. II. *Complacet ſibi Franciſcus de pollutione, quam paſſus eſt in ſomniis; ſed quia nullam habet delectationem ſenſibilem, putat ſe nullatenus in tali complacentiæ peccare. Q. An verum putet, ſe putando ab omni peccato immunem.*

Reſp. negative, per ſe loquendo. Ratio eſt, quia ſicuti nemo poteſt ſibi complacere de homicidio in ſomniis, vel in ebrietate patrato, ita nec de ſolutione naturæ, quam in ſomniis paſſus eſt, cum tam in primo, quam in ſecundo caſu

compla-

complacentia, utpote de objecto turpi, & illicito, illicita omnino ſit. Dixi, per ſe loquendo; nam ſicuti licita eſſe poteſt complacentia de homicidio in ſomnis patrato, quando ea habetur ob motivum præponderans, ex. gr. ob ingentes res, bonum ſpirituale, vel quid ſimile, quod inde emergat; ita licite eſſe poteſt complacentia, absque ulla voluntaria ſenſibili delectatione, de pullutione in ſomnis ſecuta, quando talis complacentia ſit ob motivum præponderans, puta, ut quis evadat a tentationum vexatione immunis, vel valetudinem ad magis inſerviendum Deo recipiat. Ita P. Viva prop. 49. ut ſup. n. 18. Leſſ. L. 4. c. 3. n. 105. Anacl. tr. 9. diſt. 4. n. 54. & 55.

CAS. III. *Dum Fundator cujusdam Capellaniæ in ejusdem fundatione dixerit: Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea; dubium ortum eſt, an Sacerdos teneatur Sacrificium quotidie pro Fundatore applicare. Q. Quid pro ſolutione dubii reſpondendum.*

Reſp. affirmative. Quamvis enim hæc duo, Miſſam pro Fundatore applicare, & orare pro eodem ſeparabilia ſint, & proinde ſi exprimatur unum, & non alterum, poſſit obligatio in unum, & non in aliud ferri; adhuc tamen, cum tanta ſit

conjunctio

conjunctio verborum illorum, quibus usus est Capellaniæ Fundator, dicendo: Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea, dicendum videtur, ipsum Fundatorem, Orationem, & implicite etiam Sacrificii applicationem pro anima sua exegisse. Si enim noluisset utrumque, debuisset expressius hoc indicare; quia si ex aliqua circumstantia clare constet oppositum, præsumendum semper est, quod communiter accidit, hoc est, a Fundatore applicationem Missæ posci. Ita Tamb. L. 3. c. 1. §. 3. n. 28. De Lug. disp. 21. sect. 1. n. 23. Barbos. t. 2. de potest. Episc. alleg. 24. n. 35.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *Capellanus ruralis; qui ex Confessionibus jam pluries auditis scit Rusticum quendam in occasione proxima voluntaria versari, ab eodem Pœnitente iterum quodam die festo vocatus, se ab ejus Confessione audienda excusat. Q. An hoc licite facere possit.*

Resp. affirmative, dummodo non adsit periculum, quod alii malum de rustico suspicentur. Ratio est, quia cum se excusare in casu ab audienda Rustici Confessione non sit per se loquendo aliquid de auditis Confessionibus revelare, nec sit exercere aliquem actum circa ipsam

Pœniten-

Pœnitentis perſonam, qui rationabiliter eſſe poſſit ipſi Pœnitenti ingratus, dicendum, licite ſe poſſe Capellanum ab audienda Ruſtici Confeſſione excuſare. Imo quemadmodum non ſolum licite, ſed etiã laudabiliter negatur Pœnitenti abſolutio, ut a ſua peccandi conſvetudine reſipiſcat, ita ob eumdem finem poterit laudabiliter negari Confeſſio, cum eodem modo in utroque caſu res utilis Pœnitenti agatur. Dixi, dummodo non adſit periculum, quod alii malum de Ruſtico ſuſpicentur; quia tunc ex Confeſſarii facto aliqua ſaltẽ indirecta ſigilli fractio ſequeretur, quæ omnino illicita eſt. Ita cum Tamb. L. 5. de pœnit. cap. 6. §, 3. n. 15. plerique alii.

CAS. II. *Dubitans Parochus, an puer in mortis articulo conſtitutus ad rationis uſum pervenerit, noluit illum ſacro Oleo inungere, dicens, in tali dubio puerum non eſſe inungendum. Q. An bene ſenſerit, & bene ſe geſſerit.*

Reſp. negative. Ratio eſt, quia Parochus vi ſui muneris toties tenetur Sacramenta ſive neceſſaria, ſive ad ſalutem utilia ovibus ſuis præbere, quoties & Sacramenta poſſunt ſine irreverentia conferri, & oves poſſunt illis indigere; poſitis enim duabus his circumſtantiis, oves jus habent

ad

ad Sacramenta vel abſolute recipienda, ſi ſint abſolute capaces, vel ſi ſub dubio capaces, ad ea recipienda ſub conditione: Sed puero noſtro ex una parte poteſt Sacramentum Extremæ Unctionis ſine irreverentia conferri, cum ejusdem ſub conditione recipiendi ſit capax: & ex altera parte poteſt idem puer ſub dubio uſus rationis Extrema Unctione indigere, tum ad abſtergendas peccatorū reliquias, tum ad ſuperandas Diaboli tentationes, ſi & peccatorum, & tentationum capax ſit: ergo nec bene ſenſit, nec bene ſe geſſit Parochus noſter, qui dubitans, puerum in mortis articulo conſtitutum ad rationis uſum pervenniſſe, & illum noluit ſacro Oleo inungere, & dixit, non eſſe in tali dubio inungendum. Ita Pasqualig. in theor. & prax. q. 375. Paulus tr. 26. punct. 8. n. 4. Sbogar. tr. 78. n. 27. Dian. part. tr. 3. reſol. 196.

CAS. III. *Parochus habens eleemoſynas pauperibus ſuæ Parœciæ diſtribuendas, eas diſtribuit iſtis, qui ſolent ipſi confiteri, licet ſciat alios eſſe in Parœcia paupeceriores. Q. An poſſit ab omni culpa excuſari.*

Reſp. negative. Tum quia præſumendum eſt, quod Teſtatores, vel alii, qui Parocho reliquerunt eleemoſynas Parœciæ pauperibus diſtribuendas, ipſas reliquerint

querint, ut ibi juxta prudens Parochi judicium ordinarie loquendo distribuantur, ubi major paupertatis necessitas dignoscatur. Tum quia dum Parochus eleemosynas sibi ob prædictum finem relictas illis dumtaxat distribuit, qui solent ipsi confiteri, videtur aliquo modo violare jus aliorum magis indigentium, qui ipsi æque cogniti supponuntur. Tum denique quia Parochus eleemosynas distribuendo, ut in casu, præbet pauperibus id scientibus occasionem accedenti ad ipsum titulo quidem Confessionis, sed ob finem obtinendi eleemosynas, & proinde exponit animas sibi commissas periculo simulandi sanctitatem, & faciendi Confessiones invalidas, ut in similibus casibus non infrequenter contingit. Parochus igitur se gerens ut in exposito casu, præscindendo ab aliquo rationabili peculiari motivo, nullatenus potest ab omni culpa excusari. Ita communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. *JUvenis corruptæ vitæ dixit pluries Sociis suis, tempore Bacchanaliorum voluptates venereas licitas esse. Q. An sit danunciandus.*

Resp. affirmative. Ratio est, quia sextum Decalogi præceptum, per quod prohibentur venereæ voluptates, cum sit

negativum,

negativum, eas ſemper prohibet absque ulla temporis exceptione. Hinc cum dicere, quod tempore Bacchanaliorum licitum ſit venereis voluptatibus frui, ſit prædicto Decalogi præcepto directe opponi, ſequitur, juvenem noſtri caſus, utpote falſa, & hæretica dogmata proferentem, niſi ex joco ea protuliſſe a Sociis dignoſcatur, eſſe hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus denunciandum, ut ex Edicto ipſiusmet ſanctæ Inquiſitionis compertum eſt.

CAS. II. *Confeſſarius, audita Petri Confeſſione ſatis prolixa, coram aliis dixit, Petrum nondum abſolvi, quia Confeſſionem ſuam non adhuc finivit. Q. An dicta locutio ſigilli fractionem importet.*

Reſp. affirmative. Cum enim, communiter loquendo, prolixa Confeſſio, præſertim in viris extra caſum Confeſſionis generalis, vel denotet multa peccata, vel certe gravem aliquem ipſius Pœnitentis defectum ſignificet; dicendum eſt, quod Confeſſarius, qui coram aliis dixit, Confeſſionē Petri fuiſſe prolixam, ipſumque Petrum non obtinuiſſe abſolutionem, quia Confeſſionem nondum finivit, indirecte ſaltem, & virtualiter dixit, Petrum vel multa patraſſe peccata, vel gravem aliquem defectum habere; & proinde,

cum

cum nulla fiat mentio in casu, quod Petri Confessio sit Confessio generalis, de qua nemini ignotum est esse prolixam, fractionis sigilli reus idem Confessarius censendus est. Ita Granado de Sacr. contr. 7. c. 11. n. 2. Tamb. L. 5. de pœnit. cap. 3. n. 15. & alii.

CAS. III. *Cajus famulus Domino suo graviter ægrotanti, & serio minitanti privationem cujusdam legati, in ejus favorem jam facti, si ei non ministraret vinum, hoc ipsi ministravit, ex quo; morbo ingravescente, mortuus est. Q. An sit irregularis.*

Resp. cum distinctione. Si Cajus mortem Domini sui nequaquam prævidit ex propinato vino secuturam, dicendum est, mortem prædictam per accidens respectu ipsius Caji esse secutam, & proinde sicuti reus homicidii ex gravi theologica culpa dici non potest ipsemet Cajus, ita neque ex secuta morte irregularis dicendus est, cum irregularitas ex delicto, utpote grave malum, nonnisi ex gravi culpa incurratur. Si vero Cajus vel habuisset præceptum a Medicis de vino non ministrando, vel aliunde scivisset vinum in casu ægroto Domino fore mortiferum; tunc dico, eumdem Cajum, qui, ne legato sibi a Domino facto privaretur, vinum Domino porrexit, cum in casu fuerit, ut

ingravesceret morbus, indeque sequeeetur Domini mors, tanquam ipsius mortis secutæ voluntarium auctorem irregularitatis impedimentum canonicum incurrisse. Ita ex Dian. part. 4. tr. 2. resol. 21. Leandr. disp. 16. quæst. 5. Girib. de censur. c. 6. n. 99. & seq.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *JOannes eximie peritus in cognoscendo gemmarum valore, emit gemmam pretio per alios minus peritos taxato, sed longe minori vero gemmæ valore. Q. An talis emptio sit ab omni culpa, & obligatione immunis.*

Resp. affirmative. Ratio est, quia res, quæ pretium a Principe taxatum non habet, tanti valet, quanti communiter æstimatur, licet emptor ex peculiari sua cognitione sciat, rem pluris valere, quam a viris in tali arte peritis communiter æstimetur. Hinc quemadmodum, qui ex speciali & extraordinaria cognitione agnoscit in fasce herbarum, quæ ad cibum hominum, vel pabulum animalium venduntur, herbam adesse pretiosam, magnæque virtutis, potest herbas illas emere pretio currenti, & communi, quia vili pretio communiter æstimantur; ita cum in nostro casu Joannes emerit gemmam pretio per peritos taxata, licet ipse, utpote

in

in cognoſcendo gemmarum valore eximie peritus, judicet eamdem gemmam pluris valere, erit ab omni culpa, & obligatione immunis; ſalva enim eſt tota ratio commutativæ juſtitiæ, quæ in emptionis contractu intercedere debet, ſi res ematur tanti, quanti a viris in tali negotio peritis communiter æſtimatur. Ita Roſig. cont. 2. diſp. 4. §. 3. Tambur. l. 8. Decal. tr. 3. c. 7. §. 11. n. 38. Girib. de cont. cap. 2. n. 105. & ſequ.

CAS. II. *Audiens Parochus a Titio, hominem proxime moriturum velle confiteri, ad illum congreſſus, abſente Titio nullum poteſt extorquere doloris ſignum, neque ullum ab adſtantibus conſequi teſtimonium de petitione abſolutionis.* Q. *An hoc non obſtante debeat moribundum abſolvere.*

Reſpondeo affirmative. Ratio deſumi poteſt ex Rituali Romano, quod nullatenus diſtingvens teſtimonium datũ in præſentia, ac in abſentia moribundi, abſolute diſponit, quod ſi moribundus confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt. Hac de re licet Clemens VIII. Decreto publico reprobaverit Confeſſionem factam per nuntium, tamen declaravit caſum de moribundo, qui, abſente Sacerdote, Confeſſionem petiit, & poſtea ſenſibus deſtitutus accedenti

ad ipſum Confeſſario nullum amplius doloris ſignum dare poteſt, non comprehendi in ſupradicto Decreto, ut Cardinalis Bellarminus, Archiepiſcopus Armacanus ſe ab eodem Pontifice audiviſſe anno 1908. teſtati ſunt. Debet igitur Parochus noſter, qui a Titio audivit, moribundum velle confiteri, eumdem moribundum ſub conditione abſolvere, etiamſi nullum ab adſtantibus habere ulterius poſſit teſtimonium de petitione abſolutionis. Ita Madern. quæſt. 4. art. 10. Marchan. de peſte part. 3. c. 13. n. 8. Boſſ. part. 1. Mor. tit. 1. §. 25. n. 363. & ſequ. Girb. de pœnit. c. 9. n. 29. & ſequ.

CAS. III. *Lucius, ex quo Miſſam audierit, quæ ſolet nocte Natali Domini celebrari, putat, ſe non teneri Natalio die illam Miſſam audire. Q. An verum putet.*

Reſpondeo affirmative. Licet enim ad magis fovendam Fidelium devotionem in die, quo memoria recolitur ſingularis Myſterii Nati Dei, introducta ſit conſvetudo audiendi tres Miſſas; nullum tamen præceptum ex prædicta conſvetudine firmatū eſt. Unde ſicuti non tenentur Sacerdotes tres Miſſas tali die celebrare, ita, naturam ſequendo celebrationis, taliter libera cenſenda erit trium Miſſarum auditio: & qui nocte natalitium diem præcedente, & ad

eumdem

eumdem diem ſpectante, Miſſam unam audivit, verum putet, putando ſe nullatenus ad alteram natalitio die audiendam teneri. Ita Filliuc. tr. 5. c. 7. n. 207. Leand. de præcept. Eccl. tract. 2. diſp. 1. q. 19. Paſqualig. 1253. n. 3. & 4. Bonac. de Sacr. diſp. 4. q. ult. punct. 11. n. 10.

MENSE MAII.

CAS. I. *PEtronius, initis cum Franciſca vidua Sponſalibus, certior factus eſt, eam poſt primi Conjugis mortem fuiſſe fornicatam, unde vellet ſponſalia reſcindere. Q. An habeat juſtam cauſam reſcindendi.*

Reſpondeo affirmative. ſive ante, ſive poſt Sponſalia cum Petronio inita, Fornicatio Franciſcæ ſecuta ſit. Ratio eſt, quia promiſſio Sponſaliorum non obligat, quotiescumque poſt promiſſionem vel oritur, vel detegitur notabilis aliqua turpitudo, quæ ſi ante promiſſionem fuiſſet cognita, nullatenus facta fuiſſet ipſa promiſſio. Cũ igitur ſatis veroſimile ſit, quod Petronius noluiſſet inire Sponſalia cũ Franciſca ſi ejus impudicitiæ conſcius fuiſſet, ſequitur, quod, cum nonniſi per errorem, & prædictæ turpitudinis ignorantiam conſenſum ſuum in Sponſalia præbuerit, poſſit, errore detecto, ab iisdem Sponſalibus reſilire. Ita Leſſ. L. 2. cap. 42. dub. 7. num. 34.

Sanch. L. 1. disp. 63. Bonac. de Sponf. q. 1. punct. 8. n. 16. & 17.

CAS. II. *Eadem vidua Francisca, etsi prævideat grave damnum secuturum Filiis ex primo Marito susceptis, omnem ponit artem, ut ad secundas nuptias transeat. Q. An absque gravi culpa possit ad optatas nuptias transire.*

Respondeo cum distinctione. Si Francisca passura sit pariter grave damnum casu, quo ad secundas nuptias non transeat, dicendum etiam præviso notabili damno primi Mariti filiis secuturo, posse ad secundas nuptias transire. Ratio est, quia cum lex Charitatis unicuique dictet, magis se ipsum diligere, quam alios, nequit obligare prædictam Mulierem ad impediendũ damnum filiorum medio damno sive temporali, sive spirituali, quod ipsa sustinere cogatur, si in viduitatis statu permaneat. Si vero eadem Francisca nullum, vel leve in statu viduitatis detrimentum passura sit, tunc cum vi naturalis pietatis in filios teneatur, quantum absque sui gravi incommodo potest, ipsorum damna impedire, sequitur, quod, præviso gravi filiorum damno, non possit absque gravi culpa ad optatas nuptias transire. Ita communiter.

CAS. III. *Rosa famula scit, alteram famulam sui sociam impudice cum Amasio versari*

ſari iis nocturnis horis, quibus Domina ſo-let extra domum morari, nec tamen Domi-nam monet, ne ejus animum exaſperet, ſuam-que ſociam infamet. Q. An Roſæ ſilentium poſſit a peccato excuſari.

Reſp. negative. Ratio eſt, quia, cum unicuique mandaverit Deus de proximo ſuo, ut habetur Eccl. 17. lex Charitatis obligat nos ad impediendum proximi peccatum, quotiescumque hoc absque gravi noſtro vel alterius incommodo impedire poſſe ſperamus. Cum igitur Roſa, monendo Dominam, ſperare poſſit in caſu, ut altera famula ſui ſocia ultro nocturnis horis cum Amaſio non verſetur, & proinde grave proximi peccatum auferatur, nequit ipſius Roſæ ſilentium a peccato excuſari. Neque timor exaſperandi animũ Dominæ, vel peccantem famulam infamandi, ſufficienter ſilentem Roſam excuſat; nam Dominæ exaſperatio vel erit tantum fortaſſe in Roſæ apprehenſione, vel etſi reapſe ſit ſecutura, tanta non erit, ut aliquod grave damnum vel ipſi Roſæ, vel ejus ſociæ immineat. Ut autem, quantum fieri poteſt, etiam ordo Charitatis ſervetur, primum Roſæ onus erit; eamdem famulam ſecreto admonere, ut ab indigna converſatione abſtineat; nam ſi poſt ſecretam admonitionem vult adhuc in peccato ſuo

perſeverare,

perſeverare, imputare debet ſibi ipſi, ſi apud Dominam, cui detegatur delictum, famam ſuam amittere coacta ſit. Ita cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 1. Girib. in 1. Decal. præcep. c. 5. n. 54. & ſequ. & aliis.

MENSE JUNII.

CAS. I. *PEtrus, qui a tribus menſibus confeſſus non erat, & in varia inciderat peccata lethalia, nullo præmiſſo conſcientiæ examine, confeſſus eſt, quin tamen aliquod omiſerit peccatum lethale. Q. An prædicta Confeſſio valida fuerit.*

Reſpondeo negative, per ſe loquendo. Ratio eſt, quia Petrus accedendo ad Confeſſionem poſt lapſum trium menſium ſine diligenti propriæ conſcientiæ diſcuſſione graviter peccavit: cum prædicta diligens conſcientiæ diſcuſſio ſub pœna peccati mortalis ex Concil. Trid. Decreto ad Confeſſionem præmittenda ſit. Neque excuſari poteſt, quod confeſſus ſit cum debita integritate, quæ eſt finis, ad quem ordinatum eſt diſcuſſionis prædictæ præceptum, nam Petrus in caſu per accidens quidem fuit integre confeſſus; at, quantum ad ſe attinet, ſe ipſum evidenter expoſuit periculo omittendi alicujus gravis peccati accuſationem; quod periculum, per ſe loquendo, ipſam Confeſſionem invalidam reddit. Dixi, per ſe loquendo; nam ſi homo

homo rudis minervæ, & bona fide ad Confessionem faciendam, etiam examine non præmissio, accesserit, vel Confessarius hoc advertens, defectum examinis in Petro per proprias interrogationes suppleverit, tunc Petri confessio valida dicenda est. Ita Card. de Laurea disp. 12. art. 9. §. 2. n. 203. Card. de Lug. de pœnit. disp. 16. num. 593. Cleric. de pœnit. Dec. 22. n. 15. & sequ.

CAS. II. *Moribundus cum non agnoscat se aliquo gravari peccato lethali, renuit pariter confiteri venialia, quæ patravit; qua de re Parochus recusat sacrum Viaticum eidem præbere. Q. An Parochus bene se gerat.*

Respondeo negative. Ratio est, quia licet optimum sit, & valde utile confiteri peccata venialia; nullum tamen datur de ipsorum Confessione præceptum, sive pro tempore vitæ, sive in articulo mortis; & proinde, cum moribundus non agnoscat, se aliquo gravari lethali peccato, si inde renuat etiam venialia confiteri, nequit Parochus ex hoc præcisè motivo eidem moribundo sacrum Viaticum denegare. Debebit igitur Parochus omni uti svasione, ut moribundum ad patratorum venialium Confessionem inducat, tum ad indirectam remissionem mortalis, si quod forte lateret in anima, tum ad augmentum

gratiæ

gratiæ ſanctificantis, tum ad remiſſionem partis pœnæ in Purgatorii igne luendæ, tum ad conſequendum indulgentiarum effectum, tum denique ad ſatisfaciendum univerſali conſvetudini piorum Fidelium. At ſi moribundus adhuc renuat confiteri, poterit illum diſponere ad ipſorum ſaltem venialium internam deteſtationem, ipſique taliter diſpoſito ſacrum Viaticum præbere debebit, ut præcepto de hoc Sacramento in extremis vitæ recipiendo fiat ſatis; ſecus enim agendo, Parochus noſter male ſe geret. Ita cum Gobat. tr. 6. n. 253. Cleric. de pœnit. Dec. 33. n. 22. & ſequ.

CAS. III. *Confitetur Pœnitens, ſe per unum menſem gravia mala ex corde imprecatum eſſe Franciſco, & per idem tempus turpiter concupiviſſe puellam. Q. An talis Confeſſio ſit ſufficienter diſtincta.*

Reſpondeo cum diſtinctione. Si Pœnitens aliquando intra menſem actus illos iræ, & concupiſcentiæ retractavit, vel nimium frequenter in eosdē lapſus eſt; dico, Confeſſionem factam, ut in caſu, non eſſe ſufficienter diſtinctam. Ratio eſt, quia quando actus interni vel retractantur, vel non ſunt nimium frequentes, ex ipſorum retractatione, vel notabili interruptione poteſt de facili colligi ipſorum numerus,

ſi non

si non præcisus, saltem valde proximus vero; & proinde idem numerus actuum, prout est in conscientia, post diligentem ipsius conscientiæ discussionem, ad servandam necessariam Confessionis integritatẽ, debet exponi, ut ex doctrina Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & ipsa Fidelium praxi probatur. Si vero Pœnitens nunquam per mensem retractavit actus suos, & in eosdẽ quolibet die valde frequenter lapsus sit; tunc dico, ejus Confessionem exposito modo peractam sufficienter esse distinctam; cum ex una parte intelligatur, tales actus esse humano modo secutos, & proinde per varias humanas actiones fuisse interruptos; & ex altera iidem actus valde frequentes, & non retractati censentur in genere mortis unum peccatum, licet realiter tot actus sint, quod fuerunt ipsorum physicæ interruptiones. Ita Canus in relect. de pœnit. part. 5. De Lug. disp. 16. sect. 14. n. 566. Tambur. de pœnit. L. 2. c. 1. §. 5. n. 32. & sequ.

MENSE JULII.

CAS. I. *Medicus pulsum tangendo ægrotantium Puellarum pravos motus in se experitur, aliquando cum delectatione morosa, aliquando etiam cum desiderio malo conjunctos. Q. An teneatur a talium infirmarum curatione abstinere.*

Respondeo

Reſpondeo negative. Tum quia caſus non dicit, medicum incidere frequenter in actus illos pravos, ita ut intelligamus, eum in occaſione proxima peccandi verſari; ſed tantum aliquando; per quod nobis dumtaxat inſinuatur occaſio peccati remota, ad quam evitandam nemo tenetur a proprio officio abſtinere. Tum quia cum Medicis per difficile ſit, ratio lucri ceſſantis,& fortaſſe etiam dedecoris emergentis, ſe a jam ſuſcepto officio retrahere, etiamſi in curatione infirmarum frequenter incidant in motus pravos cum delectatione, vel deſiderio malo conjunctos, dici poteſt, ipſis in voluntariam eſſe prædictā peccandi occaſionem, & proinde excuſari, ſi in prædicta cura perdurent. Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo medicus in tali ſtatu conſtitutus quærat, quantum poteſt, per proprios bonos actus periculum peccandi extenuare; ſi enim nullam vult ponere diligentiam ad vitanda peccata, tunc ad removendum voluntarium peccandi periculum debet, quocunque poſthabito damno, ab infirmarum ſuarum curatione abſtinere. Ita Ant.a Sp.5.tr.5. diſp. 3. n. 144. Leand. diſp. 7. q. 47. Girib. de pœnit. c. 10. n. 14. & ſequ.

CAS. II. *Antonius graviter a Philippo offenſus determinavit, in vindictam, quam da Philippi domum incendere; ſed ex igorantia incendit*

incendit domum Alberti amici sui. Q. An teneatur reparare damnum Alberto illatum.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia quicunque per actionem formaliter proximo injuriosam advertenter positam directe, vel indirecte proximo intulit damnum, titulo ipsius damni illati tenetur ad reparationem ejusdem, licet inferendo damnum, qualitatem ignoraverit particularis personæ, cui illud intulit; sicuti qui scienter ad mulierem conjugatam accedit, adulterii culpam, & pœnas incurrit, licet ignoret, quisnam sit maritus uxoris, ad quam accedit; & ille, qui occidit Petrum, putans occidere Paulum, damna ex homicidio secuta reparare tenetur, & tanquā veri homicidii reus plectendus est. Cum itaque Antonius domum incendendo ex ira, & motivo vindictæ, posuerit advertenter injustam actionem formaliter proximo injuriosam, ex qua directe & per se damnum proximi secutum est, tenetur ad reparandum damnum Alberto ex combustione domus illatum, licet non Alberti, sed Philippi domum incendere cogitaret, cum obligatio reparandi damnum non sit desumenda ex actione formaliter injuriosa tali determinatæ personæ, sed ex actione formaliter injuriosa proximo, ut etiam in supra adductis adulterii, & homicidii e-

xemplis

xemplis videre eſt. Ita Dian. tom. 8. tr. 5. reſ. 91. n. 2. Bonac. de reſtit. diſp. 2. q. ult. ſect. 2. punct. 2. n. 9. Sporer tr. 5. in 5. præcept. c. 3. ſect. 2. n. 4.

CAS. III. *Clericus quidam poſt ſuſceptum Subdiaconatum juravit, ſe nolle amplius comœdiis intereſſe; at cum quadam die ſocius eſſet viri gravis, & ſenis, eum ſem comitatus ludicræ repræſentationi interfuit. Q. An graviter fregerit juramentum.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia quando juramentum ſupponitur validum ſive ex parte perſonæ, quæ illud emiſit, ſive ex parte materiæ, circa quam emiſſum eſt, ſi poteſt ſine peccato ſervari, graviter peccat, qui illud non ſervat, & eſt perjurus. Cum autem juramentum, quod Subdiaconus noſter emiſit de non amplius intereſſendo comœdiis, validum ſupponatur ſive ex parte perſonæ, cum Subdiaconus in ea ſit ætate, ut plenam habeat cognitionem, ſive ex parte materiæ, cum ipſæ comediæ Clericis, præſertim ſacro Ordine initiatis, nequaquam liceant; idemque juramentū potuerit abſque peccato ſervari, ut per ſe patet: dicendum eſt, Clericum noſtrum, qui gravem ſenemve virum comitatus ludicræ repræſentationi poſt juramentum interfuit, non poſſe a gravis perjurii culpa excuſari; cum juramenti obli-

gatio

gatio per societatem prædictam nullatenus auferatur. Ita communiter.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *CAja confitetur, se per annum omisisse jejunia de præcepto, & Missas in die festo, ut Marito sub minis verberum sic jubenti obtemperaret. Q. An omissiones prædictæ possint a peccato excusari.*

Respondeo cum distinctione. Si Cajæ Maritus ex eo, quod sit gulæ deditus, vult Cajam Uxorem in cœna sociam; & zelotypia laborans, Cajam domo exire non patitur ad Missam audiendam; tunc dicendum, Cajam non peccare, si ad vitanda verbera obediat Marito, cum non teneatur in casu ad observantiam legis humanæ cũ incommodo ita gravi, quale est procul dubio dura verbera sustinere. Si autem Caja novit, & credidit, virum suum ita jubere in contemptum Dei, & Religionis, quia scilicet non curat de Præceptis Dei, & Ecclesiæ; tunc, cum hoc sit ab intrinseco malum, tenetur Caja mortem potius subire, quam obedire Marito; & proinde omissiones a Caja expositæ in Confessione nequaquam possunt a peccato excusari. Ita Corrad. quæst. 2. lit. C. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.

CAS. II. *Solet Confessarius quidam su-*

pra indiſpoſitos pœnitentes, absque intentione eos abſolvendi, proferre exterius formam abſolutionis, ne circumſtantes dignoſcant aliquem recedere inabſolutum. Q. An licite hoc faciat.

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia quamvis regulariter loquendo ſimulatio materialis tam verbis, quam ſignis exterioribus facta ob juſtam cauſam liceat, & poſſit eſſe honeſta, cum etiam de Chriſto dicatur (Luc. 24.) quod finxit ſe longius ire; nihilominus quoties ſimulatio aliqua externa eſt Deo aliquatenus injurioſa, tunc in nullo caſu licita eſſe poteſt. Cum autem ſimulare adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ per prolationem verborum abſolutionis, ſine intentione abſolvendi, ſit Deo injurioſum, quia eſt uti ficte, & fraudulenter, atque adeo indebite forma a Chriſto ad Sacramentum conficiendum inſtituta; hinc eſt, quod neque ad occultandum abſolutionis defectum circa indiſpoſitos Pœnitentes licitum eſſe poteſt, abſolutionis formam ſine abſolvendi intentione proferre. Poterit igitur Confeſſarius aliquam orationem ſubmiſſa voce in caſu ſupra Pœnitentem indiſpoſitum recitare, neque circumſtantes dignoſcant illum recedere inabſolutum; non tamen Sacramenti adminiſtrationem per verba a Chriſto

a Christo instituta, contra reverentiam Sacramento debitam, simulare, cum hoc semper illicitum sit, ut constat ex prop. 19. ab Innoc. XI. proscripta apud Vivam n. 7. & 11.

CAS. III. *Mercator videns indigentiam Caji ad emendam mercem pretio summo pecunia credita, & ad revendendam infimo pecunia numerata, eidem Cajo dixit, Mercem meam, quam modo vendo tibi credito, paratus sum, si indiges pecunia præsenti, viliori pretio redimere. Q. An talis locutio in casu Mercatori licuerit.*

Respondeo affirmative, saltem speculative loquendo. Ratio est, quia posito, quod tam pretium summum, quo merces venditur pecunia credita, quam pretium infimum, quo Mercator paratus est eamdẽ mercem redimere pecunia numerata, sint intra latitudinem justi pretii; & ex altera parte nullum intervenerit pactum, quo Cajus teneatur mercem pretio credito emptam soluto pretio tradere venditori: nihil prohibere videtur, quin Mercator, qui mercem vendidit, licite possit ad eamdem redimendam se Cajo paratum offerre: sicuti enim quilibet alius licite emere potest a Cajo hanc mercem, ita licite illam emere potest, qui ejusdem venditor fuit. Dixi, saltem speculative loquendo; quia cum

facile

facile sit, quod manifestata Mercatoris dispositio ad mercem pretio infimo redimendam, attenta maxime Caji indigentia, pactum aliquod implicitum de mercis retrovenditione involvat, ut in foro externo præsumitur; dicendum, Mercatorem debere in praxi a locutione in casu exposita, tanquam ipsi non licita, abstinere. Ita de Lug. disp. 16. de Just. n. 208. Viva supra prop. 40. ab Innoc. XI. damnat. & alii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *DEvotæ mulieri, quæ non solet alio modo confiteri, quam in genere dicendo: Confiteor omnia mea peccata venialia, recusat Confessarius absolutionem præbere, dicens, ipsam teneri ad salvandum Sacramenti valorem aliqua exprimere venialia, quæ in particulari commisit. Q. An Confessarius bene se gerat, & verum dicat.*

Respondeo affirmative. Cum enim ex una parte valde dubium sit, an peccata venialia, solum in genere confessa, sint materia certo sufficiens ad Sacramenti valorem; & ex altera, ubi de valore agitur Sacramentorum, tutior pars sit eligenda; dicendum est, non esse recendendum a praxi, juxta quam Fideles omnes, qui de venialibus confitentur, quod

aliquod in particulari ſolent ſemper exprimere. Ex his autem ſequitur, Parochũ verum docere, dum dicit, devotã mulierẽ ad ſalvandum Sacramenti Pœnitentiæ valorem teneri aliqua ſaltem venialia exprimere ex iis, quæ in particulari commiſit; & bene ſe gerere, ſi eidem Mulieri non alio modo, quam in genere venialia confitenti recuſat abſolutionem præbere: Ita Suar. diſp. 23. ſect. 1. n. 10. & alii.

CAS. II. *Dubitatur de valore Baptiſmi puero ab Obſtetrice ignara domi collati; hinc iterum in Eccleſia ſub conditione idem puer ſolemniter baptizatur. Mortuo prædicti pueri Patre, vellet patrinus Matrem pueri in uxorem ducere. Q. An pro tali Matrimonio obſtet cognationis ſpiritualis impedimentum.*

Reſpondeo affirmativè. Ratio eſt, quia quando, orto dubio circa Baptiſmum privatim collatum, puer iterum ſub conditione ſolemniter Baptizatur, cum primus baptiſmus poſſit eſſe invalidus, & proinde validus poſſit eſſe ſecundus, præſumendũ eſt, contrahi cognationem ſpiritualem. Cum autem cognatio ſpiritualis inter Patrinum, eum ſcilicet, qui infantem in ſolemni baptiſmo ſuſcepit & Matrem ſuſcepti infantis matrimonium impediat, & dirimat,

dirimat, ut ex Trid. seſſ. 24. cap. 2. de refor. compertum eſt, hinc dicendum, tale cognationis ſpiritualis impedimentum ad matrimonium in caſu noſtro celebrandũ obſtare. Ita Anton. a Spir. Sancto diſp. 7. de mart. ſect. 9. num. 384. Girib. c. 12. n. 31. cum aliis.

CAS. III. *Mævius & Berta volentes inter ſe ſecreto contrahere Matrimonium, e Civitate Tridenti, cujus erant cives, domicilium tranſtulerunt in locum non valde remotum, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non eſt, eo ſolo animo, ut absque Parocho, & teſtibus Matrimonium contraherent, quod & contraxerunt. Q. An valide contraxerint Matrimonium prædictum.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia quamvis Mævius, & Berta in eum locum ſe tranſtulerunt, ubi Concilium Tridentinum non eſt promulgatum præciſæ, ut ubi absque Parocho, & teſtibus Matrimonium inter ſe contraherent, adhuc tamen in eumdem locum, ut inquit caſus, proprium domicilium transtulerunt. Quando autem Vir, & Mulier habent in loco domicilium, vel in eumdem quaſi domiciliũ acquirunt, poſſunt etiam juxta leges ejusdem loci Matrimonium valide contrahere inter ſe; & proinde ſi in eo loco promulgata non ſit lex Tridentini præſcri-

bens,

bens, quod ad Matrimonii valorem præsentia Parochi, & duorum Testium requiratur, Matrimonium sine tali præsentia contractum validum dicendum est, & ita declaravit Sacr. Congreg. ut in Brevi Urbani VIII. sub die 14. Aug. anni 1627 apud Card. de Lug. resp. mor. dub. 36. num. 4. La Croix. L. 6. part. 3. de Matr. num. 701. aliosque videre est.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *Filius Familias furatur aliquando nummos Patri suo. ut possit cum amicis ludere, & honestis recreationibus interesse. Q. An tuta conscientia id faciat.*

Respondeo cum distinctione. Si attenta qualitate Patris, nummi, quos ab ipso surripuit Filius, ita sint in modica quantitate, ut Pater nec quoad substantiam, nec quoad modum rationabiliter esse possit invitus, & perspecta qualitate Filii, ipsi liceat aliquando cum amicis ludere, & honestis recreationibus interesse; tunc dici debet, quod Filius vere furtum non committat, nec contra voluntatem Patris agat, & proinde quod in conscientia sit tutus. Si vero Filius in surripiendis nummis a Patre, vel ratione ablatæ pecuniæ vel ratione modi clam surripiendi, vel ratione finis, propter quem nummos surripit, possit agno-

ſcere, Patrem eſſe rationabiliter invitum; tunc cum verificetur vel quod furtum committat, vel alio modo contra rationabilem Patris voluntatem operetur, ſemper alicujus culpæ, ſive lethalis, ſive venialis, reatum incurrit, & proinde agendo ut in caſu, in conſcientia tutus non erit. Ita communiter.

CAS. II. *Noluit ruralis Parochus Infirmum ad mortem ſacro Oleo inungere, quia carebat ſuperpelliceo, & Stola. Q. An bene ſe geſſerit.*

Reſpondeo negative. Nam poſito caſu, quo infirmus ex hac vita ſit migraturus absque extrema Unctione, ſi iſta nequeat ſine præſcriptis veſtibus miniſtrari, cenſendum eſt. Eccleſiam diſpenſare a ſupradicto veſtium ritu, ne infirmus absque Sacramenti, ſi non abſolute neceſſarii, ſaltem valde utilis fructu decedat. Sicuti enim Sacramentum Pœnitentiæ, etiam nulla urgente neceſſitate, ſaltem privatim absque ſuperpelliceo, & Stola licite miniſtratur, ita Sacramentum Extremæ Unctionis, quod Sacramenti Pœnitentiæ complementum quodammodo eſſe videtur, ſaltem quando urget neceſſitas, poterit ſine prædictis veſtibus miniſtrari. Et quemadmodum excuſat aliquando neceſſitas, ſi hoc Sacramentum ſine lumine, & conſvetis precibus

conferatur

conferetur, ita necessitas poterit excusare, si conferatur sine superpelliceo, & Stola, cum istæ vestes non aliquo potiori jure a Rituali Romano præscriptæ sint, ac lumen cum consvetis precibus præscribatur. Si igitur ruralis Paruchus infirmum ad mortem noluit sacro Oleo inungere ex eo præcise, quia carebat superpelliceo, & Stola, male se gesisse dicendum est. Ita Pasqualig. de theor. & prax. quæst. 444. Gobat. tom. 1. tract. 8. cas. 22. num. 903. Dian. tom. 2. tract. 2. res. 19. num. 5.

CAS. III. *Constitutus in sacris persolvit ut plurimum Canonicas Horas in loco, in quo pluries expertus est se pati distractiones mentis non leves. Q. An satisfaciat præcepto recitationis earumdem Horarum.*

Respondeo cum distinctione. Si distractiones mentis non leves tales sint non solũ intensive, sed etiam extensive, ita ut sine debita mentis attentione, & devotione notabilis pars Divini Officii recitetur, dicendum est, toties dictæ recitationis præcepto non satisfieri, quoties notabiles istæ distractiones contingunt; ex quo enim quis voluntarie ponatur in loco, qui ratione clamoris, tumultus, ludi, & similium directe ad distractiones mentis impellit, censetur se velle voluntarie distrahere, & consequenter nolle satisfacere Ecclesiæ præcepto,

præcepto, quod eſt de ſtudioſa, & attenta recitatione, ut colligitur ex cap. *Dolentes* de celeb. Miſſ. Si vero diſtractiones prædictæ, licet intenſive non leves, leves tamen ſint extenſive, quia non multum in mente orantis perdurant, tunc aderit quidem in caſu aliquod ſaltem veniale peccatum, ſed præcepto recitationis Canonicarum Horarum factum eſſe ſatis dicendum eſt. Ita Gavant. in rub. tom. 2. ſect. 1. c. 6. tit. 4. Marchin. ordin. tr. 3. p. 6. c. 12. n. 3. & ſequ. Girib. de Hor. Can. c. 3. n. 188.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *PAulus in ſua familia Primogenitus, ſatis dives, acceptat adhuc juvenis Beneficium pingue animo illud renunciandi Fratri minori adhuc parvulo, quando ipſe, ut iam habet in mente, ducturus eſt uxorem. Q. An ſine gravi culpa hoc fieri poſſit.*

Reſpondeo cum diſtinctione. Si Pauli Beneficium ſit ſimplex, nec habeat adnexum Ordinem ſacrum, & Paulus eo animo acceptaverit, ut velit proprio muneri ſatisfacere, donec mutando ſtatum idem Beneficium cum debita facultate dimittat; tunc a culpa ſaltem gravi excuſari dicendum eſt. Ratio eſt, quia etſi detur in caſu aliqua fraus, & ordinis debiti perverſio; nullo tamen jure probatur, Paulum teneri

ſub

ſub gravi culpa habere animum perſeverandi in ſtatu Clericali, cum jura ei permittant ad nuptias tranſire, ut ex cap. *Joannes*, & cap. *Diverſis* de Cleric. conjug. clare colligi poteſt. Si autem beneficium prædictum importet aliquod onus, ſeu miniſterium, quod ſacrum Ordinem petit; dicendum eſt, Paulum non eſſe a gravi culpa immunem. Ratio eſt, quia munus aliquod, ſeu miniſterium ſibi aſſumens, debet omni jure curare, ut ſe idoneum reddat ad exercendum munus ſuum; & proinde ſi Paulus Beneficium recipiens, quod Ordinem ſacrum importat, intentionem non habet accendendi ad Ordines ſacros, imo poſitive intendit poſt aliquod tempus minori Fratri relinquere Beneficium, & ipſe ducere uxorem, a gravi culpa excuſari non poteſt. Ita Sotus L. 10. de juſt. quæſt. 5. art. 6. Tolet. L. 5. caſ. 5. n. 5. Sanch. L. 7. de Matr. diſp. 45. num. 14. & ſequ.

CAS. II. *Oblitus quidam Parochus conſecrare Hoſtiam publice deferendam in conſueta menſis ſupplicatione, ad impediendam populi admirationem, Particulam conſecratam affixit Hoſtiæ grandiori non conſecratæ, & utramque publice detulit. Q. An licite hoc fecerit.*

Reſpondeo negative. Parochus enim

agendo

agendo, ut in casu, ad vitandam populi admirationem, eundē populum in idololatriæ saltem materialis crimen induxit. Nā cum Fideles adorent per modum unius, quidquid adorationi expositum vident, jam una cum consecrata Particula etiam grandiorem Hostiam non consecratam adorant. Cum autem, ut per se perspicuum est, nequeat Parochus sine gravi culpa prædictæ idololatriæ, etiamsi non formaliter talis, populo suo occasionem præbere, illicite se gessisse dicendum est. Ita Tambur. de Sacrif. L. 2. c. 8. n. 23. de Lug. disp. 8. sect. 11. n. 188. Girib. de Sacrif. c. 9. n. 88.

CAS. III. *Pœnitens, qui exponendo peccata, oblitus fuit aperire Confessario, se excommunicationis censura irretitum, fuit per hæc præcise verba absolutus; Ego te absolvo a peccatis tuis. Q. An valide a peccatis fuerit absolutus.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia quamvis juxta Ecclesiæ præceptum absolutio a Censuris debeat præcedere absolutionem a peccatis; tamen nullibi reperitur, quod Ecclesia velit irritam esse absolutionem a peccatis obtentam a Pœnitente, qui omnino inculpabiliter oblitus est Confessario aperire, se esse excommunicatione irretitum; nimis enim esset onero-

onerosum Pœnitenti invalidam absque propria culpa fecisse suorum criminum Confessionem. Licet igitur per prædictũ Ecclesiæ præceptum illicitum sit absolvere a peccatis, non præmissa censurarum absolutione; in casu tamen, quo Pœnitens bona fide accedat, & censuræ inculpabiliter oblitus, peccata sua rite dispositus confessus sit, validam obtinuisse peccatorum absolutionem dicendum est. Ita cum Suar. de cens. disp. 10. sect. 3. n. 15. Lugo dis. 16. n. 612. Girib. de pœnit. c. 11. n. 10. & 11. Cleric. de pœnit. decis. 35. n. 5.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *Mater unico filio suo, Clericali habitu jam induto, dicit, illum esse illegitimum. Hinc dum hic in dubio versatur, an Matri danda sit fides, quærit, an possit sacris Ordinibus initiari. Q. Quid tali filio respondendum.*

Respondendum, posse dubium deponere, & sacris Ordinibus initiari. Ratio est, quia ex una parte ex sententia satis communi filius, qui communiter censetur ex legitimo matrimonio natus, non tenetur credere Matri affirmanti etiam cum juramento, illum esse illegitimum, alleganti enim suam turpitudinem cum præjudicio tertii non debetur fides, ut in regulis juris habetur. Cum autem ex altera parte

irregula-

irregularitas, Jure Canonico introducta contra illegitimos filios, posita sit ob turpitudinis notam, quam tales filii ex eorũ nativitate juxta communem hominum æstimationem contrahere judicantur, dicendum est, filium clericali habitu jam indutum, qui talem turpitudinis notam apud alios non habet, nullum irregularitatis impedimentum habere, sicque tuto posse omne dubium, quod ex Matris dicto ortum esset, deponere, sacrisque Ordinibus initiari. Ita Dian. part. 5. tr. 5. res. 30. Lug. disp. 13. sect. 3. n. 62. Anacl. tr. 9. dist. 4. n. 32. Girib. de restit. c. 4. n. 103.

CAS. II. *Rusticus habitans in Bononiensis Diœcesis confinio, cum peccatum reservatum patraverit, pergit ad vicinam Diœcesis Mutuensis Parœciam, ubi dictum peccatum reservatum non est, ibique confitetur, & reportat absolutionem. Q. An valide sit absolutus.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia casuum reservatio ex communi doctrina principaliter, & directe afficit Confessarium, ejusdem arctando jurisdictionem, ne a quibusdam peccatis absolvat, licet indirecte tangat etiam Pœnitentem, qui a tali Confessario, cujus jurisdictio arctata est, a reservato casu absolvi non potest.

Cum

Cum itaque Rusticus Bononiensis habens peccatum in Diœcesi Bononiensi reservatum, confessus sit idem peccatum in Diœcesi Mutinensi, in qua reservatum non est, si alias fuit bene dispositus, validam obtinuit a Mutinensi Confessario absolutionem. Ita Suar. de pœnit. disp. 30. sect. 2. n. 4. Anacl. tr. 14. dist. 9. n. 2. aliiq; communiier.

CAS. III. *Tarquinius occidit in rixa Clericum, ignorans, homicidam in Casu inter alias pœnas incurrere irregularitatem. Q. An casu talis ignorantiæ evaserit irregularis.*

Respondeo affirmative. Cum enim irregularitas sit quoddam impedimentum Canonicum, quod ex juris dispositione nonnullis defectibus, nonnullisque criminibus adnexum est, sequitur, quod etiamsi homicidium committens nesciat, ex ignorantia juris, tali delicto adnexam esse irregularitatem, adhuc ipsam irregularitatem incurrat. Quemadmodum enim licet aliquis ignoret, ex copula illicita oriri impedimentum affinitatis vel ex adulterio cum promissione Matrimonii oriri impedimentum criminis, adhuc prædicta crimina patrando, inhabilitatem ad Matrimoniũ cum personis a jure exceptis contrahendum incurrit; ita quamvis Tarquinius,

qui

qui homicidium in rixa commisit, ignoraverit irregularitatis impedimentum cum homicidio copulari, adhuc dicendum est, quod evaserit irregularis. Ita Suar. de Censf. disp. 40. sect. 5. Anacl. tr. 13. dist. 3. n. 5. & alii.

ANNO MDCCXLV.
MENSE JANUARII.

CAS. I. *Villicus, & Hortulanus cujusdam Viri Nobilis Missam audiunt diebus festis in Oratorio privato Domus ruralis ejusdem Domini, putantes ibidem satisfacere præcepto de Missa diebus factis audienda. Q. An fere satisfaciant.*

Respondeo negative. Ratio est, quia Pontifex in Brevi Concessionis pro celebrandis Missis in Oratoriis privatis, semper ponit hæc verba: *Volumus autem, quod Familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Cum igitur Villicus, & Hortulanus non veniant nomine illorum Familiarium, qui Domino tempore Missæ actu necessarii sint, dicendum est, eosdem in casu præcepto de Missa diebus festis audienda non satisfacere. Ita ex clausula Brevium super adducta, & ex Decretis tum Clem. XI. sub die 15. Decemb.

Decemb. 1703. tum Benedic. XIV. feliciter regnantis ſub. die 7. Januarii 1741.

CAS. II. *Capellanus Ruralis, qui ſolet audire Titii Confeſſiones dixit coram aliis, Titium eſſe ſcrupuloſum. Q. An fregerit Sacramentale ſigillum.*

Reſpondeo affirmative, niſi aliunde extra Confeſſionem Titius pro ſcrupuloſo jam dignoſcatur. Ratio eſt, quia non ſolum peccata, ſed etiam occulti defectus, ſive Phyſici, ſive morales, ſub ſigillum Confeſſionis cadunt, quoties ex horum defectuum revelatione verecundia, confuſio, vel aliud damnum Pœnitenti immineat; ex quo eadem Confeſſio gravis, & odioſa, ſive per ſe, ſive per accidens, ſive directe, ſive indirecte reddatur. Cum autē ex quo Confeſſarius coram aliis dicat: Titium eſſe ſcrupuloſum, aliqua de facili verecundia,& confuſio in eodem Titio oriatur dicendum eſt, in obliquo ſaltem, & indirecte fractionem ſigilli haberi. Dixi, niſi aliunde Titius pro ſcrupuloſo jam dignoſcatur, quia in hac hypotheſi Confeſſarius de re per ſe nota locutus fuiſſet, nullumque ex Confeſſione ſequeretur gravamen, quod gravem, odioſamque eidē Titio Confeſſionem efficiat. Ita Girib. de pœnit. c. 18. num. 21. Tambur. c. 3. n. 16. & ſequ. Homob. c. 20. p. 1. exam. q. 3. aliique.

CAS.

CAS. III. *Cajus agrum sterilem, & incultum in pignus dedit Alberto, qui agrum ipsum in pignus acceptum excolendo, nonnullos fructus inde percepit. Q. Ad quem percepti fructus pertineant.*

Respondeo, pertinere ad Cajum. Ratio est, quia fructus ex aliquo fundo percepti tamdiu ad fundi Dominum spectant, quamdiu oppositum per expressam, aut saltem præsumptam Domini voluntatem non constet. Licet igitur Albertus, qui agrum sterilem, & incultum sibi datum in pignus excoluit, possit ab inde perceptis fructibus tantum subtrahere, quantum pro expensis, & laboribus suis compensandis satis sit, fructus tamen reliquos ipsi Cajo, tanquam Domino fundi restituere debet; cum secus rei pignoratæ fructus facere usura sit. Ita ex c. 1. & 2. de usuris, & Rosign. de Contr. contr. 3. prænot. 12. n. 3. & Girib. tr. 3. c. 3. dub. 9. Tamb. L. 9. tr. 1. c. 6.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *ANtonius falsis rationibus, & calumniis impedivit Clericum quemdam, quamvis dignum, a consecutione Beneficii, ut alteri longe digniori posset conferri, sicuti factum est. Q. Ad quid Antonius teneatur.*

Respondeo. Cum quisquis jus habeat, ne

ne falſis rationibus, & calumniis in bonis propriæ famæ a quocunque lædatur, Antonius, qui famam Clerici læſit, tenetur vi juſtitiæ eamdem, quantum poſſibile eſt, reſarcire. Quamvis autem ex tali injuſta famæ læſione Clericus, quamvis dignus, Beneficiū non obtinuerit: Antonius nihilominus non tenetur ad aliquam proventuū Beneficii non adepti reſtitutionem. Cum enim ſit contra Eccleſiæ, aut Reipublicæ intentionem, digno Beneficia conferre, digniore omiſſo; ſequitur, dignum in concurſu dignioris nullum jus, aut rationabilem ſpem habere, ut ei Beneficium conferatur, & proinde cum Antonius nullū jus, nullamque rationabilem ſpem Clerici læſerit, dicendum eſt, eumdem Antonium ad nullam in hac parte reſtitutionem teneri. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Emin. Gotti de reſtitut. dub. 3. §. 1. & n. 5. & 5.

CAS. II. *Petrus, licet pluries graviter peccaverit, recuſat præbere Deo in hac vita aliam ſatisfactionem præter Sacramentalem illi impoſitam a Confeſſario. Q. An eſſe poſſit a gravi culpa immunis.*

Reſpondeo affirmative. Quamvis enim optimum ſit, per pœnalitates voluntarie aſſumptas ſatisfacere Deo in hac vita pro peccatis commiſſis; nullum tamen de hoc

extat præceptum; nam Tridentinum Concilium sess. 14. de pœnit. c. 8. differens de satisfactione, quæ sit per pœnalitates voluntarie in præsenti vita assumptas, ostendit quidem, uberrimum ex iisdem fructum provenire, sed nunquam talem satisfactionem vi præcepti necessariam dicit, nisi quando in Sacramento Pœnitentiæ a Confessario imposita est. Poterit igitur Petrus absque culpa, præsertim gravi, post adimpletam satisfactionem sibi a Sacerdote in Sacramento Pœnitentiæ injunctam ab ulteriori satisfactione pro pœna temporali, propriis reatibus jam rite confessis debita, abstinere, eamque sibi servare in alia vita expiatorio Purgatorii igne luendam. Ita Cleric. de pœnit. decis. 3. n. 3. Girib. c. 12. n. 56. & alii.

CAS. III. *Medicus præbuit pharmacum Mulieri prægnanti cum gravi periculo fœtus jam animati. Q. An licite hoc fecerit.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet nunquam licitum sit directe occidere innocentem, ut contingeret, si pharmaci potio ad fœtus animati expulsionem directe ordinaretur; licitum tamen est sive Matri prægnanti, ex urgenti, honestoque motivo tuendæ, vel recuperandæ propriæ sanitatis, sumere pharmacum ad eamdem

sanita-

ſanitatem directe ordinatum, ſive Medico talem pharmaci potionem prægnanti Matri præbere, licet ex ejusdem pharmaci potione grave periculum mortis in animato fætu prævideatur; quia in tali caſu mors fœtus præter intentionem agentis, & per accidens ſequeretur, ſicuti in pluribus aliis caſibus absque ulla agentium culpa contingit. Ita Leand. de irreg. tr. 2. diſp. 11. q. 3. & 4. Andreas a Matre Dei tr. 13. c. 2. n. 64. Girib. de præcept. Decal. tr. 10. n. 145. & 146.

MENSE MARTII.

CAS. I. *Titius noctu furatus eſt aliquam fœni quantitatem a quodam Ruſtico: quia tamen die ſequenti Milites reſiduum fœni ab eodem Ruſtico ſurripuerunt, putat ad nullam reſtitutionem teneri. Q. An verum putet.*

Reſpondeo negative, Ratio eſt quia qui injuſte aufert alienã rem ad reſtitutionẽ ejusdem rei, tenetur, etiamſi talis res ab aliis fuiſſet inde ſurrepta; nam fur, qui prævenit furando rem, quam alter injuſte abſtuliſſet, ſuſcipit in ſe illud idem onus reſtituendi, quod pariter alter haberet. Cum igitur Milites, qui a Ruſtico ſurripuerunt reſiduum fœni, teneantur per ſe loquendo ad reparandum damnum Ruſtico illatum, ſicuti

ſicuti tenerentur etiam ad majoris damni reparationem, ſi & illam fœni quantitatē ſurripuiſſent; quam Titius antecedentè nocte furatus eſt; ita ſequitur, quod etiam Titius, qui Milites præveniendo, fæni quantitatem ſurripuit, ad ejusdem fœni valorem Ruſtico compenſandum teneatur. Ita Bonac. de reſtit. in gen. diſp. 1. q. 3. punct. 10. num. 3. Girib. c. 2. num. 29.

CAS. II. *Ruralis quidam Sacerdos timens, ne ipſi deficiant Miſſarum eleemoſynæ, ſupra onus, quod adhuc habet quinquaginta Miſſarum celebrandarum, novas oblatas eleemoſynas pro aliis quinquaginta Miſſis accepit. Q. An licite hoc ſecundum onus acceperit.*

Reſpondeo negative. Cum enim quilibet Sacerdos habens onera Miſſarum celebrandarum non poſſit nova onera licite ſuſcipere, niſi juxta Decretorum in hac re exiſtentium tenorem, infra modicum tempus poſſit oneribus omnibus ſatisfacere; & pariter, juxta eadem Decreta, hoc modicum tempus ultrà menſem non extendatur, clare colligitur. Sacerdotem habentem jam onus quinquaginta Miſſarū celebrandarum non poſſe licite novas ſibi oblatas eleemoſynas pro aliis quinquaginta Miſſis accipere, cum neque intra ſpatiū trium menſium oneribus ſatisfacere valeat.

Hoc

Hoc tamen valet per ſe loquendo; nam ſi facto verbo cum iis, qui novas eleemoſynas exhibent, & contenti illi ſunt, ut ad duos ferre Menſes ſatisfactio differatur, poterit in hoc caſu & ruralis, & quilibet alius Sacerdos ultra onus, quod habet, licite novum onus ſuſcipere, cum volenti, & conſentienti nulla injuria fiat. Ita communiter.

CAS. III. *Interdictus publice propter violationem præcepti Communionis Paſchalis, paratus parere præcepto, recurrit ad Parochum, ut confiteatur peccata ſua, & ab iisdem obtineat abſolutionem. Q. An Parochus extra caſum neceſſitatis poſſit dictum Parochianum abſolvere.*

Reſpondeo affirmative, dummodo talis peccatorum Confeſſio extra Eccleſiam fiat. Ratio eſt, quia hoc genus interdicti, quod incurritur propter violationem præcepti Communionis Paſchalis, non privat hominem participatione Sacramentorum; ſed tantum privat formali ingreſſu Eccleſiæ, tanquam loci ſacri ad Deum orandũ, colendumve ſolemniter inſtituti, & Eccleſiaſtica Sepultura. Si igitur ille, qui tali interdicto innodatus exiſtit, paratus eſt parere Eccleſiæ præcepto, & ſe præſentare coram Ordinario, vel ejus Delegato, ut ab Interdicto abſolvatur, poterit Parochus,

etiam quolibet secluso necessitatis casu, ejusdem Confessionem extra Ecclesiam audire, eidemque, si rite dispositus inveniatur, Sacramentalis absolutionis beneficiũ impertiri. Ita cum aliis Suar. disp. 35. sect. 4.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *DUo Famuli in quadam taberna ratione ludi rixati sunt. Post nonnullas horas unus ex illis nova convicia in alium protulit, qui ira accensus stricto ense convitiatorem suum occidit. Q. An occisor, qui statim post factum in Ecclesiam se recipit, Ecclesiæ gaudeat immunitate.*

Respondeo cum distinctione. Si factum expositæ rixosæ occisionis extra ditionem Ecclesiasticam contingit, dicendum est, occisorem Ecclesiæ immunitate gaudere. Ratio est, quia illi tantum hujusce confugii beneficio ubique privantur, qui vel proditorie, ut ex Bulla Greg. XIV. vel animo præmeditato, ut ex Bulla Ben. XIII. proximum suum occiderunt; nullatenus vero, si homicidium tantummodo in rixa, & ex iræ furore, ut in casu nostro contingit, secutum sit. Si vero occisio prædicta intra Ecclesiasticæ ditionis terminos evenit, dicendum est, confugium ad Ecclesiam occisori nullatenus pro futurum. Ratio est, quia pro omnibus ditionis Ecclesiasticæ

locis viget Pontificis lex, vi cujus quicunq; homicidium patrat etiam in rixa, dummodo casuale non fuerit, vel ad propriam defensionem, a prædictæ immunitatis beneficio excluditur, ut ex Bulla Clem. XII. quæ incipit. *In supremo*, videre est.

CAS. II. *Paulus jam moriturus, licet voluntarias pœnitentias nunquam amplexus sit, putat se satisfecisse pro pœna temporali, propriis peccatis debita, offerendo pro tali satisfactione auditiones Sacri in die festo, jejunia & alia hujusmodi, ad quæ ex Ecclesiæ præcepto jam tenebatur. Q. An probabile sit, quod Paulus putat.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia ad satisfaciendum Deo pro pæna temporali debita peccatis, jam quoad culpam remissis, non requiruntur necessario opera supererogationis, sed aliunde etiam debita, sive ex præcepto, sive ex voto, sufficiunt: sicuti enim servando præcepta meremur vitam æternam, ita per opera facta ex præcepto possumus Deo debitam præbere satisfactionem; eo præcipue quod opera prædicta ut pote sensualitati opposita, sunt aliquo semper modo pænalia, & per consequens etiam satisfactoria sunt. Qua de re quemadmodum Ecclesia jejunia, & alia pia opera nobis præcipit, ut mediis iisdem honorem simul,& satisfactionem Deo præ-

beamus;

beamus; & largitas Divinæ munificentiæ tanta est, ut idem opus dignetur recipere sive pro solutione obsequii, sive pro culparum nostrarum satisfactione; ita probabile erit, quod Paulus putat, nimirum ipsum per opera alias debita Deo pro temporali a se luenda pœna satisfecisse. Ita Cleric. de pænit. decis. 4. n. 3. Girib. c. 12. n. 6. Suar. disp. 37. sect. 6. Lug. dis. 24. sect. 6. num. 41.

CAS. III. *Petronius egreditur de domo Caji, & ad alia distractus, non est de ostio diligenter claudendo solicitus, unde Fures Caji domum ingressi, grave damnum ipsi Cajo intulerunt. Q. An Petronius ad reparationem prædicti damni teneatur.*

Respondeo negative. Ratio est, quia quamvis Petronius per omissionem illius diligentiæ, quam solent accuratiores homines adhibere, faciliorem furibus aditum ad ingrediendam Caji domum reliquerit, non fuit tamen per se causa voluntaria damni per fures Cajo illati, neque gravis alicujus juridicæ, vel theologicæ culpæ contra commutativam justitiam reus fuit; cum, ut inquit Casus, omisso diligentiæ in ostio claudendo ex simplici solum inadvertentia secuta sit. Cum igitur furtum in domo Caji secutum ad purum casum fortuitum reducatur, dicendum est, Petro-

nium

nium, qui ad alia distractus per accidens de ostio domus Caji diligenter claudendo non fuit sollicitus, nullatenus ad reparationem damni per fures Cajo illati teneri. Ita Anacl. tr. 9. q. 9. n. 77. Girib. de restit. c. 1. n. 33. Bonac. punct. 3. §. unic. n6.

MENSE MAII.

CAS. I. *JUravit Debitor de satisfaciendo Creditori suo intra præfixum terminum certæ diei. Annuente autem creditore, terminus solutioni præfixus ad aliam diem differtur. Q. An Debitor sit perjurus, si intra hunc novum terminum Creditori suo non satisfaciat?*

Respondeo negative. Ratio est, quia cum juramentũ sit lex, quam jurans sponte sibi ipsi imponit, juramenti obligatio ultra ipsiusmet jurantis intentionem extendenda non est. Sicuti igitur ex vi novi termini ad debiti solutionem concessi non tenetur amplius Debitor ad solutionem intra primum tempus solutioni præfixum, super quo juramentum cadebat; ita erit dicendum, quod mutato ex Creditoris consensu tempore solutionis, cesset, nisi fuerit renovata juramenti obligatio; & proinde si Debitor intra novum terminum Creditori suo non satisfaciat, agat quidem contra pactum de novo firmatum, non tamen perjurus sit. Ita Bonac. de juram. disp. 4. punct. 17. n. 13. & alii. CAS.

CAS. II. *Parochus in confinio Diœcesis existens vocat Parochum alterius Diœcesis ad Confessiones audiendas in propria Ecclesia, & ipse audit in Diœcesis alterius irrequisito Episcoporum consensu. Q. An hoc valide, & licite fieri possit.*

Respondeo affirmative, quod utramq; partem, ubi non viget opposita consvetudo. Ratio est, quia cum quilibet Parochus habeat ex vi Beneficii Parochialis ordinariam jurisdictionem in proprios Subditos, potest illam delegare cuilibet Sacerdoti approbato, & proinde etiam alteri Parocho sive ejusdem, sive alterius Diœcesis. Hac de re Sacra Congr. Episc. die 25. Maji anni 1640. Episcopo Civitatis Plebis præcepit, ne ullo modo Confessiones suorum Subditorum a Parochiis etiam vicinarum Diœcesum ad suam ratione alicujus festi juxta solitum accedentibus audiri impediret. Dixi ubi non viget opposita consvetudo, hac enim existente, non poterit Parochus unius Diœcesis in altera, licite saltem, Confessiones audire, irrequisito Episcopi illius consensu, ut eidem Episcopo Plebis prædicta Sacra Cong. sequenti anno 1641. rescripsit. Ita Diana part. 1. tr. 11. resol. 8. Leand. disp. 11. q. 58. Girib. 14. n. c. 49. & 50.

CAS. III. *Bernardus vendidit equum*

Sempronio

Sempronio, cui defectum occultum equi non aperuit, cum super hoc minime fuerit interrogatus; sciens tamen, Sempronium non empturum equum, si equi defectus detegeretur. Q. An graviter peccaverit, & ad restitutionem aliquam teneatur.

Respondeo cum distinctione. Si defectus occultus equi talis sit, ut equum reddat alteri noxium, vel inutilem, dico, Bernardum graviter peccasse, & ad rescindendum contractum teneri; Ratio est, quia qui per gravem dolum, dantem causam contractui, rem aliquam vendit, graviter peccat contra justitiam, & contractum irritum facit. Cum autem, quando tacetur vitium reddens rem venditam emptori inutilem, aut noxiam, vendatur res per gravem dolum dantem causam contractui; hinc est, quod ita vendens graviter peccat & ex nullitate contractus ad pretii accepti restitutionem tenetur. Si vero defectus occultus equi non reddat equum noxium, vel inutilem ad finem ab emptore intentū, dico, Bernardum, dummodo equum justo pretio vendiderit, & de occulto defectu nullatenus fuerit interrogatus, neque peccasse, neque ad aliquam restitutionem teneri. Ratio est, quia in casu occultans defectum equi, ut sibi consulat, utitur jure suo, nec ulli facit injuriam; & proinde,

quamvis

quamvis Sempronius non fuiſſet empturus equum, ſi defectum equi agnoviſſet, dicendum adhuc eſt, ſtare contractum, & Bernardum eſſe ſive ab omni peccato, ſive ab omni reſtituendi obligatione immunē. Ita D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. in c. Girib. de contract. c. 2. n. 96. & 100.

MENSE JUNII.

CAS. I. *SEjus per notabile tempus diſtulit adimplere pœnitentiam ſibi a Confeſſario impoſitam, illamque poſtea in ſtatu peccati adimplevit. Q. An graviter peccaverit.*

Reſpondeo affirmative quoad primam, negative quoad ſecundam partem. Ratio primæ partis eſt, quia quando tempus pœnitentiæ non eſt a Confeſſario determinatū mens Confeſſarii eſt, ut exequatur, quam primum commode poteſt, ſicuti in operibus implendis ex voto, aliisque ſimilibus contingit; hinc eſt, quod ſi absque rationabili cauſa, ut ſupponimus, ſed præciſe ex gravi negligentia per notabile tempus diſtulit Sejus pœnitentiā ſibi a Confeſſario impoſitā adimplere, nequit per ſe a gravi culpa excuſari. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſicuti graviter non peccat, qui præcepta jejunii, Miſſæ audiendæ, Officii recitandi, & hujusmodi in ſtatu peccati lethalis exequitur; ita neque qui in eodē

ſtatu

ſtatu pœnitentiam Sacramentalem adimplet, præſertim cum per pœnitentiam in tali ſtatu peractam impediatur ad ſummū remiſſio pœnæ temporalis peccatis correſpondens, quod non importat talem irreverentiam, ut ad culpam lethalem trahenda ſit. Hac de re neque Confeſſarii ſolent interrogare, utrum pœnitentia fuerit in lethali peracta, neque de hoc ſolent Pœnitentes, bonæ alioquin Conſcientiæ, ſe accuſare. Ita Madernus q. 5. ar. 1. Lug. diſp. 25. n. 32. Girib. c. 12. n. 16. & 62.

CAS. II. *Ruſticus jurans, ac verba inhoneſta ſæpe proferens cognoſcit ſemper ſe peccare, non diſtingvendo an lethaliter, vel venialiter peccet, Q. An jurando, & inhoneſta verba proferendo, ſit a lethali culpa immunis.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia nulla actio cenſeri debet graviter peccaminoſa, niſi ejus malitia ſit formaliter, vel virtualiter volita, quod ut contingat, dubietatem, vel ſuſpicionem de culpa gravi occurrere neceſſe eſt; ſecus omnia fere ruſticorum, perſonarumque idiotarū peccata eſſent dicenda lethalia, ut pote commiſſa ab illis, qui ea quidem mala eſſe cognoſcunt, venialia autem eſſe, vel mortalia prorſus ignorant. Cum igitur non dicatur in caſu, quod Ruſticus jurando,

&

& inhonesta verba proferendo dubitet, vel suspicetur, se graviter peccare, sed præcise, quod illa verba proferat ignorans, seu non distingvens, an sint venialiter tantum, an etiam lethaliter peccaminosa, sequitur, quod nullo modo periculum malitiæ gravis adverterit, & proinde quod de levi tantum culpa damnandus sit. Ita Bossius Moral. var. par. 1. tit. 1. §. 15. n. 79. Dian. par. 5. tr. 5. resol. 31. Mader. q. 4. ar. 5. n. 6.

CAS. III. *Parochus non vult assistere Matrimonio, quod intendit contrahere Titius, eo quod iste Orationem Dominicalem, & Decalogi præcepta ignoret. Q. An bene se gerat.*

Respondeo negative. Quamvis enim optimum sit, ut Parochus svaviter, & prudenti ratione ad breve tempus Matrimonium retardet, ut qui ignorat Orationem Dominicalem, & præcepta Decalogi, in his addiscendis curam ponat; non debent tamen, nec licite possunt a Matrimonio contrahendo absolute arceri illi, qui scientes quantum ex necessitate scire tenentur, ignorant, aut memoriæ imprimere nequeunt ea, quæ alii Fideles scire solent; ut inter cætera sunt præcepta Decalogi, & Oratio Dominicalis. Ita apud Riccium in praxi fori Eccles. decis. 638.

juxta

juxta primam impreſſ. & reſol. 576. in ſecunda addit. Ex Boſſio c. 13. n. 5. & Diana part. 4. tr. 4. reſol. 85.

MENSE JULII.

CAS. I. *FRanciſcus in Teſtamento ſuo diſpoſuit, fructus cujusdam Fundi inſumi debere quotannis pro Miſſarum celebratione; tractu autem temporis iſti fructus propter fundi meliorationem, fiunt duplo majores. Q. An duplo major debeat eſſe numerus Miſſarum celebrandarum.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia ſi Teſtator, potens ampliſſime diſponere de rebus ſuis, non aſſignat nec numerum Miſſarum quotannis celebrandarum, neque quantitatem fructuum in celebrandis Miſſis inſumendorum; ſed abſolute diſponit, fructus Fundi determinati debere quotannis in Miſſarum celebratione inſumi, mens Teſtatoris alia eſſe non poteſt, quam quod omnes fructus, detractis laboribus, & expenſis in ipſiusmet fundi melioratione inſumptis, in Miſſarum celebratione inſumantur. Quemadmodum igitur ſi fructus annui fierent propter fundi deteriorationem pauciores, celebrarentur Miſſæ pauciores; ita ad ſervandam, ſicuti oportet, Teſtatoris mentem, ſi fructus propter fundi meliorationem fiunt etiam duplo majores, detractis, ut ſupra, laboribus,

laboribus, & expensis, debent omnes in augendo etiam ad duplum Missarum numero insumi. Ita Pasqualig. de Sacrif. novæ legis q. 1078. n. 5.

CAS. II. *Sempronius volens vendere Prædium, quod est Proculi prædio contiguum, ficte agit de venditione cum viro præpotenti molesto vicinis; ex quo Proculus homo pacis movetur ad illum emendum summi pretii solutione. Q. An contractus iste sit validus.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia fictio, & fraus in casu versatur quidem circa causã impulsivã emptionis, non tamẽ circa substantiam rei venditæ, neque Sempronius a Proculo Emptore pretium ultra supremum justum extorquet. Quemadmodum igitur, licet non infrequenter contingat, quod Mercatores fictione utantur, ac mendacio, ut merces suas summo pretio vendant, dicendo ex gr. pannum anglicum esse, vel parisiensem, totque libras pro qualibet ulna jam recipere potuisse, & hujusmodi, quæ ficta, & falsa omnino sunt; & nihilominus nisi vel in qualitate mercis, vel in pretii quantitate notabilis emptorũ læsio contingat, contractus emptarum Mercium subsistunt, & validi sunt; ita, licet Sempronius male se gesserit, in usu suæ fictionis, Contractus nihilominus cum Proculo celebratus validus dicendus est. Ita ex Vasquez 1.2.q.7. art. 5. Sanchez in

oper.

oper. mor. lib. 4. c. 3. num. 8. Bonac. de contr. disp. 3. quæst. 1. punct. 2.

CAS. III. *Parochus in quodam Oppido, ut reædificet partem collabentis Ecclesiæ, solet pro qualibet Missa, quæ quotidie a pluribus Sacerdotibus in eadem Ecclesia celebratur, duos solidos, de consveta eleemosyna retinere. Q. An licite.*

Respondeo negative. Ratio desumitur tum ex jure communi cap. *De his*, sub tit. de Ecclesiis ædificandis, tum ex Concil. Trid. sess. 21. c. 7. de reformat. quibus in locis habetur, quod Ecclesiæ reædificatio vel ad Patronum, si juris Patronatus illa sit, vel ad populum, vel ad Beneficiarios Ecclesiæ, vel ad Parochum ipsum pertineat, ut proinde ratione reædificationis prædictæ nullatenus fraudandi sint Sacerdotes parte eleemosynæ illis debita pro celebratione Missarum. Cum igitur nequaquam spectet ad Sacerdotes Missam præcise in Ecclesia celebrantes subsidiũ pro collabentis Ecclesiæ reædificatione præbere, illicite Parochus ille se gerit, qui solet pro qualibet Missa, quæ quotidie a pluribus in Ecclesia celebratur, duos solidos de consveta eleemosyna retinere. Ita ex juribus supra allegatis, ut ex instruct. 12. vol. 5. SS. D. N. Benedicti XIV. videre est.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Confitetur vir nobilis, in communibus Pauperum necessitatibus nunquã solere eleemosynam elargiri, licet plura habeat suo statui superflua; quod intelligens Confessarius recusat ipsi præbere beneficium Absolutionis. Q. An Confessarius bene se gerat.*

Respondeo negative. Ratio est, quia quamvis non solum in extrema, sed etiam in gravi proximorum necessitate teneantur divites, vi divini præcepti, eleemosynam ex proprio statui superfluis elargiri, in communibus tamen pauperum necessitatibus nonnisi ex consilio talem eleemosynam elargiendam esse dicendum est. Hac de re quia nemo sibi svadet, aliqua stricta lege ad prædictam eleemosynam in communibus pauperum indigentiis teneri, neque Confessarii solent divites Pœnitentes circa dictæ eleemosynæ omissionem interrogare, neque isti accusare se solent, quod eleemosynam communiter indigentibus non erogaverint, licet commode potuerint erogare. Si igitur Vir nobilis per omissionem prædictæ eleemosynæ nullum transgreditur grave præceptum, male Confessarius se gerit, dum ex hoc capite recusat beneficium Absolutionis eidem præbere. Ita ex D. Thom. 1. 2. quæst. 32. art.

art. 5. Card. de Laurea tom. 4. diſp. 13. Cleric. de pœnit deciſ. 10. num. 3.

CAS. II. *Franciſcus angitur ſcrupulo, valde dubitans de valore ultimæ à ſe habitæ Confeſſionis, quia ipſam faciendo non renovavit peccatorum dolorem, quem die antecedenti elicuerat. Q. An valida dici debeat prædicta Confeſſio.*

Reſp. Affirmative. Ratio eſt, quia Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratur per modum judicii; cum autem in judiciis concluſio in cauſa, & publicatio ſententiæ admittant notabile tempus intermedium, poterit hoc etiam in judicio Sacramentali admitti. Quamvis itaque optimū ſit, ante abſolutionem renovare dolorem; adhuc tamen, dummodo dolor elicitus non fuerit retractatus, vel novum peccatum, aut complacentia de præteritis non ſupervenerit, dicendum eſt, dolorem antecedenti die elicitum ita moraliter perſeverare etiam pro die ſequenti, ita ut Franciſcus nullatenus de valore Confeſſionis, ſine expreſſa, & formali renovatione doloris peractæ, debeat dubitare, cum ipſius Confeſſio valida dicenda ſit. Ita ex Gobat. tr. 6. n. 157. Tambur. l. 1. cap. 2. §. 4. & 5. Clericat, de pœnit. deciſ. 13. num. 8.

CAS. III. *Quidam Confeſſarius Ruralis*

pluries absolvit Pœnitentem ab incestu in primo gradu affinitatis, non advertens esse peccatum reservatum. Q. An Confessarius prædictus sit à gravi culpa immunis.

Resp. Affirmative, dummodo nullam habuerit reservationis dubitationem. Ratio est, quia cum voluntas nostra nequeat moveri, & excitari ad quærendam scientiam illius rei, de qua nullam habemus cogitationem; si nulla de incestus reservatione dubitatio præcessit, inadvertentia in absolvendo à reservato casu, sive hoc pro unica vice, sive pluries contigerit, fuit omnino invincibilis, & ipsi Confessario involuntaria; proindeque ipsum à peccato excusat, cum ad peccandum non sufficiat, remote posse, & debere ignorantiam juris auferre; sed requiratur posse proximum, quod habetur, quando aliqua de lege incidit cogitatio, vi cujus voluntas ad quærendam legis notitiam moveatur. Qua de re dixi, dummodo Confessarius nullam habuerit reservationis dubitationem; hac enim interveniente, ratione inadvertentiæ vincibilis, & culpabilis, opposito modo concludendũ est. Ita ex Suar. de cens. disp. 4. sect. 8. num. 14. & seq. Sanch. lib. 1. cap. 16. num. 20. & 21. Castro-Palao tr. 1. punct. 21.

CAS. I. *Cum Clericus quidam obtinuerit Beneficium non contemnendum, solet insumere in emptione librorum omnes Beneficii fructus, qui suæ honestæ sustentationi supersunt, Q. An licite possit hoc facere.*

Resp. Negative. Ratio est, quia cum ex sanctis Patribus, & Conciliis fructus Beneficiorum vocentur vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Christi, & pauperum, detracta congrua Beneficiarii sustentatione, inseparabilis est ab Ecclesiastico Beneficio obligatio erogandi fructus, qui supersunt, in pauperum alimoniam, aliosque pios usus in honorē Ecclesiæ, & Dei; hac enim intentione saltem implicita Beneficia à Fidelibus erecta sunt. Poterit igitur Clericus noster partem aliquam fructuum Beneficii non contemnendi insumere in emptione librorum proprio statui necessariorum, vel convenientium; non tamen omnes Beneficii fructus, qui propriæ supersunt sustentationi, in librorum emptione licite insumere; cum hoc in pauperum, aliorumque piorum operum detrimentum vertatur. Ita Salmat. de just. & jur. cap. 2. num. 41. Cleric. de Pœnit. decis. 10. num. 5. & seq.

CAS. II. *In Molendinis quibusdam, excepta Missæ auditione, nulla fit inter festivos, & feriales dies distinctio. Q. An hoc à Parocho sciente possit licite tolerari.*

Resp. Cum distinctione. Si ex aliqua rationabili causa detur consvetudo legitime præscripta, ut Molendina quædam diebus festis æque ac in ferialibus aperta sint, & molant, dico, hoc posse licite à sciente Parocho tolerari, etiamsi, excepta Missæ auditione, nulla appareat inter festivos, & feriales dies distinctio; cum præceptum abstinendi in die festo ab operibus servilibus, ubi urget rationabilis causa, atque necessitas, non obliget, ut notum est. Si vero nulla urgeat rationabilis causa, sed ex mero abusu hoc sit introductum, & hoc possit à Parocho aliquo modo impediri, hoc tolerando, male Parochum se gerere dicendum est. Ita ex Act. Ecclesiæ Mediol. tom. 1. & ex instruct. 24. vol. 3. Benedicti XIV. Papæ, & Archiep. Nostri.

CAS. III. *Joannes domui, familiæque Religiosorum quotidie inserviens, Communionem tempore Paschatis in ipsorum Ecclesia recipit. Q. An Ecclesiæ præcepto de Communione Paschali satisfecerit.*

Resp. Cum distinctione. Si Joannes ita domui, ac familiæ Religiosorum quotidie

tidie inservit, ut sub eorumdem obedientia vivat & intra eorum domum, seu Monasterium resideat, dico, ipsum Joannem præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali satisfecisse, cum in casu interveniant illæ omnes conditiones, quæ ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. requiruntur, ut quis à Communione Paschali in propria Parœcia sumenda eximatur. Si vero Joannes, licet domui, ac familiæ Religiosorum quotidie inserviat, sub eorumdem obedientia non vivit, vel intra eorum Monasterium non residet, dicendum est, præcepto Communionis Paschalis nequaquam satisfecisse propter rationem oppositam à supradicta; ut ex cap. cit. Concil. & ex pluribus Sacr. Congregat. Decretis hac de re editis, & præsertim in una Laudun. 14. Apr. 1685. in una Spolet. 19. Apr. 1692. in una Barcinon. 21. Jan. 1713. & in una Ulysipponen. 22. Novemb. 1721. videre est.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *Mortuo quodam Presbytero, qui pinguem præbendam per nonnullos alios possedit, notabilem pecuniæ summam obtinuit Petronius ejusdem Presbyteri hæres, qui proinde ex tali pecunia vellet sibi domum ædificare. Q. An licite*

possit prædictus hæres in ædificio domus obtentam summam insumere.

Resp. Negative. Si enim fructus Ecclesiastici, qui congruæ sustentationi præbendati supersunt, debent in pios usus insumi, quia cum onere, & pacto saltem implicito à Fidelibus profecti sunt, sequitur, quod si quis eos titulo sive donationis in vita, sive hæreditatis post Præbendati mortem accipiat, acceptos fructus in eosdem pios usus insumere teneatur. Eo præcipue, quod, quemadmodū hæres repræsentat personam defuncti quoad illius bona, ita eamdem subire debet obligationem, quam circa illa defunctus habebat; & proinde sicuti ex hac ratione res devicta per votum faciendæ eleemosynæ transit ad hæredem cū eadem obligatione, ita fructus, qui à Præbendato in pauperum alimoniam, aliosque pios usus debent insumi, cum eadem obligatione ad hæredem transeunt; & quidem potiori jure, cum magis intrinseca, & adnexa videatur ecclesiasticis fructibus obligatio prædicta, utpote fundata in natura, & conditione talium bonorum, quam adnexa sit alicui rei obligatio ex voto utpote quæ præcise ab extrinseco, & ex voluntate voventis proveniens est. Non poterit igitur hæres

Pre-

Presbyteri præbendati in ædificanda sibi domo obtentam summam insumere. Ita Card. de Lugo de just. & jur. disp. 23. sect. 6. n. 102. Sanch. concil. mor. lib. 2. c. 2. dub. 54. n. 2. Clericat. de Pœnit. decis. 10. n. 22.

CAS. II *Parochus Puerperam, quæ alias peperevat filios, asserentem sentire se mori, & enixe petentem Extremam Unctionem, noluit sacro Oleo inungere, adhærens judicio Obstetricis negantis prædictam mulierem essè in mortis articulo constitutam. Q. An bene se gesserit.*

Resp. Negative. Ratio est, quia posito dubio prudenti de periculo vitæ, & rationabili timore de morte Puerperæ, hæc capax censenda est Sacramenti Extremæ Unctionis, saltem collati sub conditione: dari autem in casu nostro hunc timorem vere prudentem de periculo mortis Puerperæ, compertum est, si advertamus ex una parte facilitatem erroris in judicio Obstetricis negantis periculum mortis, & ex altera insolitas voces Puerperæ asserentis se mori, Extremamque Unctionem enixe poscentis, quod alias fecisse experta partus dolores, casus nõ dicit. Cum igitur in dubio periculi mortis potuerit optime Parochus, saltem sub conditione, Puerperam sacro Oleo

inungere,

iningere, eumdem Parochum, qui judicio Obſtetricis adhærens in favorem periculi agere recuſavit, male ſe geſſiſſe dicendum eſt. Ita Paſqualig. theor. & prax. quæſt. 384. & ſeq. Gobat. t. 1. tract. 8. caſ. 22. n. 384. Roſignol. art. 3. n. 4.

CAS. III. *Parochus per integrum diem ſolet non infrequenter à Parœcia ſua abeſſe, nullo ibi relicto idoneo Sacerdote, certus tamen, nullum ibi infirmum tali tempore reperiri. Q. An poſſit ab omni culpa excuſari.*

Reſp. Negative. Ratio deducitur ex Edicto Sanctiſſimi Domini Noſtri ſub n. 17. vol. 1. paſtoralium inſtructionum hac de re edito, in quo aperte prohibitum eſt Parochis à Parœciis ſuis etiam pro unica tantum die abeſſe, nisi ibi Sacerdotem pro audiendis Confeſſionibus approbatum reliquerit, qui pro aliquo repentino caſu poſſit Parochi vices ſupplere. Quamvis itaque certus ſit Parochus, dum abſens ſit à Parœcia, nullum ibi reperiri infirmum, adhuc tamen cum facillime poſſint repentini caſus accidere, in quibus pro Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque indigentiis, Parochi, vel alterius Sacerdotis pro audiendis Confeſſionibus approbati præſentia neceſſaria

omnino

omnino ſit, dicendum eſt, Parochum noſtrum, qui ſolet non infrequenter per integrum diem à Parœcia ſua abeſſe, nullo ibi relicto idoneo Sacerdote, nequaquam poſſe ab omni culpa excuſari.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Sacerdos celebrans in Oratorio privato ſolet omnibus diebus feſtis piæ, nobilique fœminæ Miſſam audienti ſacram Euchariſtiam præbere. Q. An licite hoc faciat.*

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia in facultate, quæ poſitis quibusdam conditionibus, ſolet a Pontifice concedi pro celebratione Miſſarum in Oratoriis privatis, nulatenus comprehenditur facultas adminiſtrandi ſacram Euchariſtiam perſonis ipſis, quarum contemplatione celebrandi facultas conceſſa eſt. Hac de re (ut aperte docet Sanctiſſimus Dominus noſter inſtruct. 13. vol. 2.) praxis eſt, quod petatur ab Ordinariis locorum pro dicta Euchariſtiæ adminiſtratione nova facultas, quæ neque concedi ſolet, niſi pro aliquo particulari caſu, in quo gravis neceſſitas id concedendi occurrat. Cum itaque in caſu noſtro non exprimatur obtenta ab Ordinario facultas, dicendum eſt, illicite Sacerdotem nobili fœminæ in Oratorio privato Miſſam audienti ſacram Eu-

chari-

chariſtiam præbere. Ita ex Quart. ad Rubr. Miſſ. part. 3. tit. 10. dub. 10. Dian. p. 4. tr. 2. reſol. 44. & 45. Girib. de Pœnit. c. 8. n. 47.

CAS. II. *Titius Bertam duxit Uxorem, eaque defuncta, vellet ducere Cajam, quæ fratris Bertæ jam mortui uxor fuit. Q. An licite poſſit illam ducere.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia Titius per copulam habitam cum Berta uxore ſua contraxit quidem affinitatem cum omnibus conſangvineis Bertæ, non autem cum Bertæ affinibus ex vulgata regula, quod affinitas affinitatem non pareat. Cum igitur Caja ex quo fuerit uxor fratris Bertæ, facta ſit dumtaxat Bertæ affinis, non conſangvinea; ſequitur neque conſangvineam eſſe, neque affinem Titio; proindeque nihil ex hoc capite obſtare, quin idem Titius, defuncta uxore Berta, licite poſſit in uxorem ducere Cajam, quæ fratris Bertæ jam mortui uxor fuit. Ita Girib. de Matrim. c. 13. n. 12. Sanch. L. 7. diſd. 67. n. 3. Roſing. diſp. 3. §. 1.

CAS. III. *Perditus quidam juvenis, qui pluries ſe jactavit, ac gloriatus eſt de peccatis Furti, Luxuriæ, Blaſphæmiæ, & hujuſmodi, dum confitetur, dicit tantummodo: Gloriatus ſum de peccato mortali. Q. An ſatiſfecerit Confeſſionis integritati.*

Respondeo affirmative, per se loquendo. Ratio est, quia cum tota malitia, quæ in peccato Jactantiæ reperitur, in eo sit, quod peccatum, & offensa Dei assumatur tanquam medium ad captandam gloriam, & laudem apud homines, ad quem finem de materiali se habet, quod sit hoc, vel illud peccatum; sequitur, quod optime, & integre confiteatur, qui tantummodo dicit: De peccato mortali gloriatus sum. Dixi per se loquendo; oppositum enim dicendum esset, si perditus juvenis complacentiam simul de peccatis illis habuisset, de quibus gloriatus est; quia cum complacentia specificetur ab illo objecto, de quo quis cum ipsa gloriatus est, ad exprimendam, sicuti oportet, peccati speciem, debent illa omnia objecta, quorum complacentia habita est, in Confessione aperiri. Et quia sæpissime jactantia præsertim de peccatis Luxuriæ admixtam habet complacentiam de iisdem; hinc est, quod hac ratione sæpissime adest obligatio exprimendi objecta illa, de quibus quis se jactavit, & gloriatus est. Ita Palao t, 1. tr. 2. disp. 2. punct. 11. n. 5. Diana part. 3. tr. 4. resol. 161. Grib. de Pœnit. c. 8. n. 65. & sequ.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *Rusticus in mortis articulo constitutus*

constitutus duo peccata confitetur: unum reservatum Episcopo cum excommunicatione adnexa, alterum reservatum Papæ. Q. Ad quid teneatur, si convalescat.

Respondeo cum distinctione. Si Rusticus ignorabat excommunicationis pœnam peccatis suis adnexam, ad nihil tenetur, si convalescat: siquidem non tenetur ad aliquid ratione reservationis, cum (ut habetur c. 7. sess. 14. Concil Trid.) in Ecclesia Dei custoditum semper fuerit, ut in mortis articulo nulla sit reservatio: neque tenetur ratione censuræ, cum in eamdem utpote pænam non incidat, qui eam ignorat. Si vero, quando Rusticus patravit delicta, sciebat illis adnexam esse excommunicationis censuram, tenetur, si convalescat præsentare se Papæ, & Episcopo, vel Delegatis ab ipsis, non quidem ut a Censuris iterum absolvatur, cum jam fuerit directe absolutus, sed ut paratum se ostendat obedire Superiorum mandatis, cum non aliter fuerit in mortis articulo absolutus a reservatis censuris, quam sub pæna reincidendi in easdem specie Censuras, nisi, postquam convaluerit, se præsentet, cui debet, ut dictum est. Ita ex cap. *eos qui de sent. excom. in* 6. Girib. de Pœnit. c. 16. n. 43. & communiter.

CAS.

CAS. II. *Lælius habebat Agnum Dei cereum a ſancto Pio V. benedictum; & quia audivit, eum eſſe magni valoris, illum duobus aureis vendidit, quamvis hoc non licere cognoſceret. Q. An poſſit per ſimplicem Confeſſarium abſolvi.*

Reſpondeo affirmative. Quamvis enim Lelius peccaverit peccato Simoniæ realis vendendo rem ſacram pro pretio temporali, & etiam egerit contra prohibitionem a Greg. XIII. hac de re ſpecialiter editam; adhuc tamen nihil obſtat, quin poſſit ab hoc peccato per ſimplicem Confeſſarium abſolvi. Licet enim reatus Simoniæ realis ſcienter contractæ in Ordinum ſuſceptione, in collatione Beneficiorum, & in Religionis ingreſſu puniatur excommunicationis cenſura Pontifici reſervata, ut ex Clem. VIII. Decreto Doctores docent; hoc tamen de Simonia, quæ in aliis rebus committitur, dicendum non eſt, quia de ipſa pariter in reſervatio num Decretis expreſſa mentio non habetur: Cum autem nullibi conſtet, quod Simonia, quæ in venditione Agni Dei patratur, ſub aliqua reſervatione vel cenſura reſervata prohibita ſit, dicendum, nihil obſtare, quin Lelius, qui reus cenſetur Simoniæ prædictæ, poſſit etiam a ſimplici Confeſſario Abſolutionis beneficium

ficium obtinere. Ita ex Bonac. de Simon, disp. 1. q. 4. §. 2. n. 6. & q. 7. §. 2. n. 17. & 18. Girib. c. 2. n. 24.

CAS. III. *Uxor Marito concessit, ut votum emitteret Castitatis, eoque emisso, adhuc debitum petenti reddit. Q. An licite debitum reddat.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum Uxor ex hoc præcise, quod Marito concesserit, ut votum emitteret Castitatis, non se privaverit jure petendi, vel reddendi debitum; etiamsi Maritus post votum illicite petat, adhuc Uxor licite eidem debitum reddit. Quamvis enim, quando circumstantia, quæ reddit petitionem illicitam, se tenet ex parte actus, illicitum quoque sit petenti correspondere: quando tamen circumstantia prædicta se tenet præcise ex parte personæ, ut in casu, illicitum non est per redditionem debiti illicite petenti assentiri. Hoc tamen non videretur dicendum; si Uxor consensum præbendo in votum Castitatis a Marito emissum, licentiam dedisset vovendi omnimodam, & integram Castitatem, in hoc enim casu Uxor cessisset omni proprio juri, & sic Marito debitum illicite petenti non nisi illicite redderet. Ita Bonac, de Matrim. q. 4. punct. 3. n. 7. Sanch. L. 9. disp. 36. n. 4. Girib. c. 19. n. 86.

ANNO MDCCXLVI.
MENSE JANUARII.

CAS. I. *Cajus videns omnia sibi adversa fortuna contingere, putat vere in mente sua, Deum esse erga se immisericordem, huncque cogitatum suum aperit Amico, dicens: Indica mihi Confessarium benignum, quia habeo peccatum grande nimis; Deum enim credidi absque misericordia esse. Q. An iste inciderit in casum Bullæ Cœnæ tanquam formaliter hæreticus.*

Respondeo negative. Ratio est, quia ad incurrendam Excommunicationem Casus Bullæ Cœnæ requiritur, quod hæresis sit exterius manifestata, cum Ecclesia non judicet de interno, neque illud puniat; Cajus autem noster duntaxat putavit Deum immisericordem in mente sua, ut patet ex terminis casus. Quod si id postea manifestavit amico, hoc egit, non ad tuendam aut profitendã hæresim, sed potius ad detestandam, sicque fuit pura narratio hæresis alias conceptæ, ordinata ad tollendam culpam. Poterit itaque a quolibet simplici Confessario absolvi. Ita communiter cum Giribaldo tr. 4. in primum præcep. Decalogi, cap. 2. dub. 5.

CAS. II. *Quidam Sacerdos in familiaribus collocutionibus solet frequenter abuti ad jocos, & facetias verbis, ac sententiis*

ſacræ Scripturæ. Q. An judicandus ſit reus peccati lethalis ſacrilegii.

Reſpondeo affirmative, loquendo de verbis ſacræ Scripturæ formaliter talibus, nimirum dictatis a Spiritu ſancto. Ratio eſt, quia violat res ſacras proprie tales, ac frequens abuſus verborum Angelis venerabilium continet contemptum, ſaltem implicitum ipſiuſmet Dei, gravem injuriam irrogat Spiritui ſancto, cujus ſunt verba, ut ex Graffio lib. 2. cap, 19. num. 17. vocante cujuſmodi abuſum? immane ſcelus. Ita ex Gobat de blaſp. cap. 20. num. 720. Regin. lib. 19. cap. 4. num. 57. Accedit etiam ſcandalum, attenta qualitate perſonæ Sacerdotis. Dixi = loquendo de verbis ſacræ Scripturæ formaliter talibus = quia ſi abuteretur quibuſdam verbis, quæ extant in ſacris paginis, relatis ex aliis, & quidem viris profanis, ut ſunt illa Feſti Act. 25. ad Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis = a gravi ſacrilegii culpa excuſari poſſet.

CAS. III. *Clericus Beneficiatus multoties committit alteri recitationem Divini officii; eique cedens partem fructuum illis diebus correſpondentem, credit ſe ab omni culpa immunem. Q. An bene ſentiat.*

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia obligatio recitandi Officium Divinum in

Clerico

Clerico Beneficiato, quicumque ſit, eſt perſonalis, obligans ſub gravi, orta ex ipſomet Beneficio, cujus poſſeſſionem adeptus eſt, cum jure illud adminiſtrandi; cui obligationi ſi non ſatisfacit, tenetur fructus reſtituere, quæ reſtitutio eſt veluti pœna correſpondens culpæ. Quare Clericus noſter cedens alteri partem Beneficii, ſubit pœnam, verum non ſe exonerat culpa contracta propter transgreſſionem perſonalis obligationis recitandi horas Canonicas. Ita ex Alario lib. 2. verbo: *Horæ Canonicæ*, Sanchez lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 62. Giribaldus, Leander, aliique. Colligitur etiam ex Conſtit. S. Pii V. declarantis, eum, qui Choro addictus Officium non recitat, licet ſit præſens, præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem, grave peccatum committere. Accedit Propoſitio damnata ab Alex. VII. num. 21. dicens = Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficiũ Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *PArochus habens Beneficium pingue non vult docere per ſe ipſum Doctrinam Chriſtianam filios paupe-* rum,

rum, ſed tantum quoſdam filios divitum, qui ſingulis menſibus quædam munera ad eum deferunt. Q. An ſit Simoniacus.

Reſp. Cum diſtinctione, vel intervenit pactum aut expreſſum, aut tacitum cũ Parentibus puerorum deferendi ea munera, vel nullum intervenit pactum; ſi hoc ſecundum, Parochus non eſt Simoniacus, quia cum Simonia ſit ſtudioſa voluntas vendendi, aut emendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro tẽporali, ad eam requiritur aliquod pactũ, vel ſaltem ut res accipiatur per modum pretii, commutationis, aut motivi, ut ex communi doctorum. Si primum, probabilius Parochus eſt Simoniacus. Ratio eſt, quia docere Catechiſmum eſt quid ſpirituale, quod Simoniæ ſubjacere poteſt, ut cum communi tradit Suarez lib. 4. c. 18. n. 24. & Parochus ea munera reciperet tanquam pretium. Neque dici poteſt, quod ea reciperet aut titulo laboris, aut titulo congruæ ſuſtentationis, cũ ad hujuſmodi laborem ex officio teneatur; & Beneficio pingui ſupponatur ſatis ſuperque proviſus; ergo videtur, quod difficulter poſſit à Simoniæ labe expurgari.

CAS. II. *Filiusfamilias, dum luderet deprehenſus à Patre, ab eoque vehementer objurgatus,*

objurgatus, ad declinandam illius iram, vovit se non amplius lusurum; mortuo autem Patre, dubitat, an adhuc obligetur voto. Q. Confessarii judicium.

Resp. Filiumfamilias probabilius non amplius adstringi voto. Ratio est, quia causa nedum impulsiva, sed etiam motiva, & quidem principalis vovendi videtur Filio fuisse, declinare iram Patris, ut exponitur in casu: Cum igitur, mortuo Patre, cesset hæc ratio motiva, & principalis vovendi, cessat etiam obligatio voti, quæ tamdiu durat, quamdiu durat causa motiva, & finalis vovendi, ut cum Azorio, Silvestro, Suarez tenent Bonac. disp. 4. q. 2. p. 3. n. 10. Antonius à Spiritu sancto, & communiter Doctores; quia votum non obligat ultra mentem, & intentionem voventis; vovens autem nō censetur habuisse intentionem se obligandi, cassante causa finali, & motivâ voti.

CAS. III. *Sempronius tempore Quadragesimæ dispensatus ad carnes vigore Indulti Apostolici, in vespertina quoque refectione cum aliquo nonnullorum scandalo usus est carnibus, servata tamen quantitate. Q. An, spectata Epistola Encyclica SS. D. N. Benedicti XIV. non solum pecca-*

verit, ſed etiam inciderit in caſum reſervatum n. 7.

Reſp. Negative. Ratio eſt, quia caſus reſervatus n. 7. continet ſcandaloſam ſolutionem Quadrageſimæ, non ſcandaloſam ſolutionem Jejunii: Sempronius autem veſpere veſcens carnibus ſolvit Jejunium, quia Pontifex in Epiſtola encyclica, quæ incipit = Libentiſſime quidem amplectimur = ſtatuit diſpenſatos ad carnes non poſſe in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ Jejunantibus permittitur, ſed opus habere eo cibo, quo utuntur homines Jejunantes rectæ, & meticuloſæ conſcientiæ. Attamen Sempronius non ſolvit ſcandaloſe Quadrageſimã, à qua ſupponitur diſpenſatus vigore Indulti Apoſtolici; ergo peccat, ſed non incidit in Caſum reſervatum. Si vero in Indulto Apoſtolico obſervantia Jejunii eſſet appoſita per modum conditionis, ſine qua non liceret uti eodem Indulto, ut contingit anno 1740. in Indulto huic Civitati à Pontif. fel. regn. conceſſo, tunc probabilius cenſerem, Sempronium incidere in caſum reſervatum, quia adhuc vere ſcandaloſe ſolveret Quadrageſimam.

MENSE MARTII.

CAS. I. *Titius ingreſſus cujuſdam Artificis officinam cum duobus Sociis,*

tiis, ipsis insciis, clam surripit thecam auream; inquisitus autem de furto, thecam secreto restituit; sed ut consulat quoque famæ suæ, eosdem Socios adhibet testes, qui jurent, ipsum nihil penitus surripuisse. Q. An sit reus perjurii.

Resp. Affirmative, quatenus inducit ad jurandum falsum, licet putatum verũ. Ratio est, quia virtus Religionis, quæ prohibet, ne quis falsum juret, prohibet etiam, ne alios ad falsum jurandum inducat. Neque obstat, quod Socii existiment, Titium nil surripuisse; nam hoc probat dumtaxat, in Sociis juramentum esse materialiter falsum, & inculpabile; at non excusat Titium à malitia perjurii, quia illa attestatio sociorum est ipsimet Titio formaliter falsa, cumque ab ipso sit volita, & procurata, reddit illum perjurii reum, eo modo, quo quamvis blasphæmia viro amenti sit materialiter mala, ei tamen, qui amentem induceret ad blasphæmandum, esset mala formaliter, & culpabilis; ita cum Suarez tom. 3. de Relig. lib. 3. de Juramento, cap. 14. n. 8. Bonac. tom. 2. disp. 4. quæst. 1. p. 111. Tamburino, Sanchez, aliisq; communius.

CAS. II. *Petrus Typographus in Confessione se accusat, quod feria secunda Paschatis quatuor circiter horas insumpserit*

in componendis characteribus, altero vero die, videlicet feria tertia, totidem horis torculari expressit. Confessarius eumdem arguit, ut violatorem utriusque diei festi. Q. An juste.

Resp. Cum distinctione. Si Petrus de utroque se accusat, quod putaverit, esse utrumque contra diem festum; merito à Confessario arguitur; tum quia egit contra conscientiam, tum quia juxta sententiam probabiliorem, nedum characteres in torculari exprimere, de quo non est dubium, verum etiam eos componere, inter opera mechanica recensetur, ut tenent Suarez de Virt. Relig. lib. 2. cap. 25. n. 8. Palao parte 2. tract. 3. disp. q. 5. n. 5. Facundez, & alii apud Girib. hic dub. 5. n. 43. quia compositio characterum per se non ordinatur ad locutionem, sicuti ordinatur scriptio, sed est præparatio materiæ, & veluti fabricatio instrumenti Mechanici ad opus Mechanicum, scilicet, ad ipsam impressionem ordinati. Si vero Titius de utroque se accusat ad majorem suæ conscientiæ quietem, putavit tamen primum sibi licuisse, non secus ac characteres scribere, tunc dico, injuste argui à Confessario de utriusque diei Festi violatione, quia hæc quoque est opinio valde probabilis apud Homob.

lib.

lib. 2. p. 4. resp. 34. Dianam part. 4. tract. 4. resol 62. Tamburinum, & alios; quare Petrus, juxta eamdem operatus, diem Festum non violavit. Est igitur dumtaxat monendus, ut magis timoratorum praxim sequens, etiam à componendis characteribus diebus festis abstineat.

CAS. III. *Capellanus in Festo simplici accepit eleemosynam pro Missa ad Altare privilegiatum celebranda; ipse vero celebrat quidem ad dictum Altare, sed ex devotione dicit Missam Votivam de B. Virgine. Q. An satisfaciat suæ obligationi pro accepta eleemosyna.*

Resp. Negative. Ratio est, quia intentio conferentis Eleemosynam fuit Altaris privilegio frui, non fruitur autem, si Sacerdos in festo simplici Missam Votivam recitet de B. Virgine, quia privilegium à Summis Pontificibus concessum, est regulariter dumtaxat pro Missis de Requiem, quando non obstat Ecclesiæ ritus, qui non obstat in Festo simplici, quo Missa de Requiem recitari potest. Id satis superque ostendunt tot Decreta S. R. C. à Summis Pontificibus confirmata, præser ab Alexand. VII. & Clem. XI. ita communiter, & expresse P. Merati in novis observat: & addit: ad Comment. Patris Gavanti in Rubricas Missalis p. par. tit. 5. n. 8.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *BErta Mater, ne Filias suas diebus festis sinat vagari per Civitatem, vel Oppidum, aut otio domi tabescere, injungit eis quædam opera servilia. Q. An Filiæ teneantur obedire Matri sic præcipienti.*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia ex 4. Delalogi præcepto Filii tenentur obedire Parentibus in iis, quæ licita sunt; licitum autem est puellis, præsertim post Devotiones, & horis pomeridianis, ad ea vitanda, quæ in casu exposita sunt, plena periculis etiam diebus Festis aliquibus operibus servilibus incumbere, idque ex interpretatione præcepti, ac benigna piæ Matris Ecclesiæ permissione, quæ sicuti non obligat ad observantiam diei Festi, si aliquod grave damnum corpori immineat, multo minus si animæ. Ita cum Emmanuele Sa, Silvestro, Naldo, Homobono, & aliis tenent Diana p. 3. tract. 5. resol. 8. Bonac. hic disp. 5. q. unica, punct. 3. n. 7. Cavendum tamen est, ne Mater ad finem lucri detorqueat opus Filiarum, easque retrahat à piis actibus, quibus possent sanctius diem Festum colere; quare monet Suarez de Virt. Rel. l. 2. c. 26. n. 6. supradicta cum mica salis esse intelligenda.

CAS.

CAS. II. *Filius, inconsultis Parentibus, vult ducere in uxorem Cajam Puellam honestam; paris quidem conditionis, sed pauperem. Q. Quomodo debeat se gerere Parochus.*

Resp. Cum distinctione. Vel Parochus advertit, Parentes fore quidem verbis, & animo contradicturos, non tamen malitiosum apposituros impedimentum, & eo tunc debet Filio svadere, ut Parentes consulat; aliter peccat assistendo, sicuti Filius peccat sic contrahendo; lædit enim pietatem, ac reverentiam Parentibus debitam, ut ex Girib. tract. 10. c. 5. dub. 6. n. 37. Quodsi, consultis à Filio Parentibus, eorum consensum non obtinet, potest licite Parochus Matrimonio assistere, cum Filius possit licite contrahere; quia Filii, satisfacta, per petitionem cõsilii, reverentia Parentibus debita, in iis, quæ spectant ad corporis sustentationem, & prolis generationem, sunt sui juris, ut tradit D. Th. 2. 2. q. 104. à 5. Vel Parochus advertit, Parentes esse apposituros malitiosum impedimentum; & eo tunc, si propter paupertatem sponsæ nullum sit secuturum damnum grave, dedecus, aut irrationabile onus iisdem Parentibus, ut in casu supponitur, potest, & debet assistere ad tuendam libertatem

Matri-

Matrimonii, non enim paupertas ſponſæ, ſi cætera non deſint, eſt motivum ſufficiens pertinaciter obſiſtendi Matrimonio Filii. Colligitur ex Girib. citato, Pontio de Matrimonio l. 2. c. 1. Sporer. in 4. præcep. Decal. tract. 3. cap. 5. ſec. 1.

CAS. III. *Parochus ruralis habet in more de menſe in menſem particulas conſecratas, quæ in Ciborio pro Infirmis aſſervantur, conſummare, & novas conſecrare, ſemel tamen, & iterum deprehendit in fundo pyxidis quosdam vermiculos ex ſpeciebus Sacramentalibus genitos. Q. An talem morem ſervando ſit tutus in conſcientia.*

Reſp. Negative, ſed lethaliter peccare. Ratio eſt, quia in Concilio Turon. 4. cap. 4. apud Gavantum; in Mediol. pariter 4. p. 1. & in Synodo Bononienſi lib. 2. cap. 3. & juxta communem fere omnium DD. ſententiam, Euchariſtia renovanda eſt de ſeptimo in ſeptimum diē; quæ regula non ita quidem ſtricte obligat, ut non poſſit etiam renovatio protrahi ad longum tempus, maxime ſi particulæ conſecrandæ ſint recentes, ut colligitur ex citato Concil. Mediol. permittente, quod conſecrentur hoſtiæ poſt ſeptem dies renovandæ, etiamsi ſint à viginti diebus confectæ; attamen tanta dilatio

non

non est à gravi culpa immunis, quando ex aliqua circumstantia vel loci humiditati nimis subjecti, vel &c. adest periculum corruptionis specierum; quod periculum experientia cum deprehenderit Parochus casus nostri, non est in conscientia tutus pristinum morem servando.

MENSE MAII.

CAS. I. *MOrtuo Divite, & instantibus hæredibus, publicatur Monitorium cum excommunicatione contra scientes, & non revelantes ipsius bona; Sejus scit, Patrem suum, dum eidem famularetur, plura sibi usurpasse. Q. An Filius teneatur, vel saltem possit contra Patrem revelare.*

Respondeo non teneri. Ratio est, quia lex Civilis non obligat ad ferendum testimonium contra sibi Conjunctos usque ad 4. gradum, præsertim si non agatur de causâ ad totam Communitatem pertinente; ita neque lex Ecclesiastica credenda est, eosdem obligare, quippe quæ legi Civili in benignitate cedere non debet; unde in casu nostro non tenetur Filius denuntiare Patrem. Additur etiã, quod hujus modi Monitoria non obligant, si ex tali revelatione aliquod grave damnum timeatur probabiliter secuturum; ex revelatione autem Filii facta contra

Patrem

Patrem, vix poteſt grave damnum ipſius, & totius Familiæ abeſſe, videlicet diſcordiæ, & odia; ergo Sejus ex vi Monitorii non tenetur revelare contra Patrem. Ita Diana tom. 5. tractat. 1. reſol. 161. & 162. Raynaud. de Monit, p. 1. cap. 2. q. 20. & 24. Baunius, & alii. Hinc, ſpectato damno diſcordiarum, odiorum &c. quod Filius ex tali revelatione toti Familiæ inferret, videtur dicendum, nec etiam poſſe (licet de hoc non diſputent DD.) quia non debet illis cauſam præbere per id, quod poteſt juſte omittere; ſpectato vero dumtaxat juris communis privilegio & ſecluſo damno licite poſſet, quisq; poteſt uti, vel non uti pro libito ſuo.

CAS. II. *Antonius propinato alteri veneno, ex quo irreparabiliter ſecutura eſt mors, antequam hæc ſequatur, pœnitentia ductus accedit ad Confeſſarium, cui confitetur peccatum ſuum. Confeſſarius autem eum abſolvit injuncto onere, quod ſecuta morte, ſe præſentet habenti facultatem in reſervata, eique peccatum denuo aperiat. Q. An pœnitens, ſecuta morte, teneatur parere Confeſſario.*

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia Antonius tunc nec tenetur ſe præſentare habenti facultatem in reſervata, ratione peccati commiſſi in propinatione veneni,

quia

quia ab hoc jam fuit directe absolutus in peracta Confessione, quippe quod nulla tunc reservatione tenebatur, cum hæc non afficiat nisi actum consummatum Homicidii: neque ratione mortis postea secutæ, quia hæc respectu Antonii rite confessi, & absoluti non est amplius mortaliter peccaminosa, cum non sit amplius moraliter voluntaria, utpote in Sacramento Pœnitentiæ efficaciter retractata: quare non est, cur eum subdat clavibus, sive habentis; sive non habentis facultatem in reservata, ergo non tenetur in casu parere Confessario. Ita Henriquez, & Facundez apud Dianam tom. 5. tract. 1. resol. 10. Homobonus, & alii.

CAS. III. *Quidam Sacerdos in itinere celebraturus Missam die Festo de præcepto pervenit ad quoddam Oratorium rurale, in eoque reperit unum tantum librum Missalem, cui fere integer deest Canon Missæ. Q. An possit licite celebrare, ut ipse cum Sociis satisfaciat præcepto de audiendo Sacro,*

Respondeo negative. Ratio est, quia sic se exponeret periculo errandi in re gravi, nempe circa Canonem, cujus profecto singula verba sunt materia gravis; adeoque etiam graviter peccaret: ita

Gavant.

Gavant. tom. 1. p. 2. tit. 1. citans Navarrum, & Azorium, qui licet loquantur de Celebrantibus ſine ullo libro Miſſali, tamen par eſt ratio in caſu noſtro, quia reſpectu Canonis idem eſt, ac ſi nullus eſſet. Deducitur etiam ex Conc. Mediol. 1. præcipiente Sacerdotibus, præcipue propter Canonem, quod non memoriter dicant Miſſam, aut canant. Ex quo inferendum eſt, neque ad ſatisfaciendum præcepto de audiendo ſacro id licere, quia præceptum integrandi Miſſam in iis, quæ in Canone ſunt, prævalet unicuique alteri præcepto Eccleſiaſtico; quare ſicuti ex nulla cauſa, præterquam gravis irreverentiæ, quæ forte immineret contra Sanctiſſimum Chriſti Corpus, & Sanguinem, licet aliquid Canonis omittere; ita nec licet periculo omittendi ſe exponere.

MENSE JUNII.

CAS. I. *FÆminam nolentē reddere ſalutationem alteri Vicinæ cum qua rixata eſt, Confeſſarius judicat Abſolutione indignam, & ream peccati lethalis, quamvis ipſa fateatur, nullum exinde odium habere contra dictam Vicinam. Q. An verum ſit Judicium Confeſſarii.*

Reſpondeo cum diſtinctione. Si ex quo fœmina non reddat ſalutationem Vicinæ, cum

cum qua rixata eſt, oriatur aliquod ſcandalum, aut id æſtimetur. notabilis contemptus ejusdem Vicinæ, ſpectantibus circūcumſtantiis loci, temporis, perſonarum, nec non conſvetudine Patriæ, Judicium Confeſſarii verum eſt; quia tunc non reddere ſalutationem eſt revera, peccatum lethale contra charitatem, ut patet; ac proinde quoties Fœmina non vult reſalutare Vicinam, eſt in ſtatu peccati lethalis, & abſolutione indigna. Si vero nullum inde ſequatur ſcandalum, ſaltem grave, nec gravis contemptus, vel quia levis fuit rixa, & utriusque indignatio, vel quia jam animum alienum a quocumque poſitivo, & gravi odio Fœmina iſta patefecit, vel alia ſimili de cauſa, Judicium Confeſſarii non eſt verum, quia hæc ſigna omittere, abſolute loquendo, eſt potius contra urbanitatem, quam contra charitatem. Ita ex Bonac. in 1. Decalog. præcep. diſp. 3. quæſt 4. part. 3. Giribal. tract. 4. cap. 4. dub. 4. num. 36. & aliis.

CAS. II. *Juvenis quidam habens conſvetudinē ſe polluendi, confitetur in Paſchate pollutiones commiſſas; interrogatus autem a Confeſſario de conſvetudine, eamdem reticet, timens ne ultra tempus paſchale Abſolutio ei differatur; habet tamen propoſitum efficax non amplius peccandi. Q. An valida ſit ejus Confeſſio.* Reſpondeo

Resp. negative. Ratio deducitur ex Propositione damnata ab Innoc. XI. nũ. 58. ex qua habetur, teneri Pœnitentem confiteri consvetudinem peccandi, quando ex Confessario de eo interrogatur; si ergo Juvenis iste eamdem reticet, suæ obligationi in re gravi non satisfacit, adeoque graviter peccat, & Confessionem sacrilegam perficit; nisi forte ignorantia eum excuset. Nec juvat, quod habet propositum efficax non amplius peccandi; quia Confessarius adhuc habet jus ad idẽ propositum experiendum; & cum sit Judex simul, & Medicus, non potest hujus partes implere applicando opportuna remedia, nisi infirmitates, & statum pœnitentis plene cognoscat. Ita Cardenas dissert: 37. in dict. prop. 58. Viva, Reginaldus, & alii.

CAS. III. *Sacerdos celebraturus Missam, dum induit se Vestibus sacris, omittit Orationes, quæ ad singulas earum, dicendæ sunt. Q. An ejus omissio sit immunis a culpa.*

Respondeo negative. Est enim semper talis omissio contra Rubricam vel præceptivam, ut censet Juvenin. tom. de Missæ Sacrificio quæst. 8. cap. 7. vel saltem directivam, ut existimant alii. Quare, nisi ex aliqua rationabili causa fiat, est quoque peccato obnoxia, vel mortali, ut tenet

Navarrus

Navarrus cap. 25. n. 73. apud Merati & Azor part. 1. lib. 13. c. 29. q. 5. apud Alarium verbo Missa n. 42. maxime si omittantur aut ex contemptu scienter omnes deliberate, & cum advertentia, vel saltem veniali, ut cum Roderic. & Burch. sustinent communius DD.

MENSE JULII.

CAS. I. *FRanciscus habuit rem cum Sponsa de futuro, dum per aliquot dies post inita sponsalia in ejus Domo adhuc morabatur; in Confessione autem præcise se accusat, quod habuit rem cum puella.*

Q. *An ejus Confessio sit bona.*

Respondeo cum distinctione. Si Parochus, functus munere suo, admonuit Franciscum, non ei licere cohabitationem cum Sponsa de futuro sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, latæ in Synodo lib. 2. cap. 9. & Eminentissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo reservatæ, si se invicem carnaliter cognoscerent, antequam per verba de præsenti Matrimonium contraherent; vel aliunde Franciscus id sciebat; tunc ejus Confessio non est bona, quia reticet circumstantiam, quæ licet non variet speciem, est tamen affecta excommunicatione reservata, ratione cujus peccatum confessum est extra Jurisdictionem

simplicis Confessarii: si vero id inculpabiliter ignorabat: Confessio, ejus bona est; quia ignorantia inculpabilis excusat ab excommunicatione incurrenda, & sic etiã in casu a reservatione, quæ non afficit peccatum, nisi ratione excommunicationis.

CAS. II. *Petrus Confessarius tradidit alteri, Confessario chartam Sollicitationis sigillo obsignatam, ut eam daret cuidam Mulieri, quæ ad ipsum pro Confessione accesura erat; Alter autem Confessarius Sollicitationis ignarus, absoluta Confessione, statim chartam prædictam dedit Mulieri. Q. An hi Confessarii sint denunciandi.*

Respondeo negative; neuter enim reus est talis Sollicitationis, qualis in Bulla Gregoriana exprimitur; non primus Confessarius, quia iste sollicitans per alium Confessarium, sollicitationem in Confessione per chartæ traditionem faciendam mandat, nõ efficit: in Bulla autẽ Gregoriana: lex Denunciationis lata est contra Confessarios Sollicitationem efficientes, & quidem cum suis Pœnitentibus, & de mandantibus nec unum habetur in ea verbum, unde non debet ad eos extendi, maxime cum odiosa sint potius restringenda. Nec habet hic locum illa regula—Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur—quia ubi lex mandantes non expressit, cum exprimere

potuisset,

potuisset, censendum potius est, eos comprehendere noluisse, juxta illud ⸗ Lex si aliud voluisset, expressisset ⸗ Leg. unic. §. Ita *si autem* cum Diana part. 1. tr. 4. ref. 22. Bonac. Bossio, & aliis Girib. tract. 7. de Sacramento Pœnit. cap. 10. dub. 2. n. 11. Non alter Confessarius, qui chartam sigillo obsignatam tradit mulieri; quia iste ignorans, quid in ea contineatur, absque ulla sui culpa, & solum materialiter concurrit ad mulieris Sollicitationem. Quando autem in Bulla Gregor. dicitur ⸗ sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda ⸗ supponitur profecto in ipsomet Confessario scientia, & cognitio ejus, quod efficit, quia supponitur in eo vera formalis culpa, & quidem gravissima, quā Summi Pontifices intendunt per legem Denunciationis punire; & in hoc sensu intelligendū est Decr. Alex. VII. prohibens illam Propos. n. 6. ⸗ Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam &c. Cum autem seclusa scientia, & cognitione, nulla sit culpa, ut tradunt communiter DD. neuter ex his Confessariis denunciandus est.

CAS. III. *Parochus sciens, Virum Nobilem non satisfecisse præcepto Ecclesiæ Communionis Paschalis, eumdem quidem privatae admonet; sed videns, sese nihil proficere, dissimulat, nec ad Superiorem illius inobe-*

dientiæ notitiam defert, putans, per privatam illam admonitionem, partes, officii sui satis implevisse. Q. An hujusmodi Parochi dissimulatio sit peccato lethali obnoxia.

Respondeo cum distinctione. Si Parochus habet verum, & sufficiens fundamentum vel credendi Superiorem ipsum nihil effecturum cum Viro isto Nobili, vel timendi ex Denunciatione facta Superiori aliquod grave damnum sibi obventurum, ejus dissimulatio nulli peccato est obnoxia; quia in his circumstantiis præceptum Denunciationis faciendæ Superiori non obligat, ut communiter docent DD. cum Soto apud Alarium Verbo *Correctio*; si vero tale fundamentum non habeat, & potius timeat tanti viri gratiam amittere, Parochus dissimulando, nec ad Superiorẽ deferendo notitiam illius inobedientiæ, graviter delinquit contra præceptum Christi Domini (Matth. 18.) si te non audierit, dic Ecclesiæ. Hoc enim præceptum, si quem sub gravi obligat, obligat profecto Parochum, qui ex officio tenetur modis omnibus saluti suarum ovium providere. Non satis autem provideret neque saluti ipsius Viri Nobilis, qui a Superiore objurgatus, fortasse resipisceret; neque saluti aliorum, quibus posset talis dissimulatio innotescere, & sic in aliis parere scandalum.

ſcandalum. Quare merito in hac Synodo Bononienſi lib. 2. cap. 3. ſub comminatione gravium pœnarum, arbitrio ipſius Superioris infligendarum, præcipitur Parochis, ut ſtatim poſt Feſtum Aſcenſionis, vel ad eumdem, vel ad ejus Vicarium deferant notitiam de contumacibus ſine dilatione, & ſine ulla Perſonarũ exceptione.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Caja impudice verſata cum Parocho, ægrotans cum periculo vitæ, ſciens, non poſſe a Complice ſui criminis abſolvi, ne turpitudinem ſuam alteri detegat, ſtudioſe, & ex induſtria expectat, quousque Parochus ipſe ſacrum Viaticum ad eam deferat, & tunc ante Communionem eidem confitetur, & abſolvitur Parocho ignorante dolum Mulieris. Q. An attenta declaratione ultima Benedicti XIV. circa Abſolutionem Complicis in articulo mortis, valida ſit hujuſmodi Abſolutio.*

Reſpondeo negative. Quia facultas, quam Summus Pontifex in ultima declaratione concedit Confeſſario, ut in articulo mortis valide poſſit abſolvere complicem in peccato turpi, ne hic pereat defectu Juris dictionis in abſolvente, dummodo tamen ex parte Pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti valorem requiſitæ non deſint, non eſt extendenda ad

caſum

casum nostrum, in quo Caja sciens, non posse a Complice sui criminis absolvi, ne turpitudinem suam alteri detegat, studiose & ex industria expectat, quousque Parochus, peccati Socius, sacrum Viaticum ad eam deferat, & eidem confitetur, cum commode, ut supponitur, potuisset alteri confiteri; & ratio est, quia hoc est eludere, & quidem in materia gravi, mentem Pontificis, & privilegium ab eodem concessum Pœnitenti, præcise in sui favorem, ne in æternum pereat, trahere in consequentiam contra reg. Juris in 6. 28. & velle ex fraude patrocinium, & ex dolo lucrum reportare contra reg. ex cap. *Sedes Apost.* de rescriptis; ubi habemus= dolus, & fraus nemini debent patrocinari= quod sane est ad Sacramentum pœnitentiæ accedere sine debitis dispositionibꝰ. Quemadmodum igitur, ut docent DD. Regularis, qui data opera iter arripit, ut extra Ordinem confiteatur, virtute privilegiorum, quæ illi unice conceduntur, ne diu careat Sacramento, non potest valide absolvi propter ejus fraudem, & dolū, ut videri potest penes Rotarium de Pœn: cap. 1. ita pari ratione in casu nostro.

CAS. II. *Confessarius ex Confessione Franciscæ cognovit, ipsam ignoranter contraxisse Matrimonium cum Impedimento dirimente*

dirimente affinitatis in primo gradu, orto ex copula illicita cum Fratre sui Viri; timet autem, ne mulier certior facta impedimenti, adhuc sit habitura rem cum suo putato Viro. Q. Quomodo se gerere debeat Confessarius.

Respondeo. Si Confessarius agnoscat, ignorantiam Franciscæ fuisse, & esse invincibilem, quod bona fide contraxerit Matrimonium cum tali impedimento, in eoque permaneat, non debet illam de tali impedimento admonere, sed in sua bona fide relinquere. Ratio est, quia, stante tali prudenti, & rationabili dubio, aut timore, ne adhuc esset rem habitura cum suo putato Viro, ejus admonitio careret fine, imo esset occasio majoris mali in Francisca ipsa; quippe quæ cum hactenus fuerit in statu peccati materialis sine offensa Dei; admonita constitueretur in statu peccati formalis cum Dei offensa igitur, Confessarius noster debet perbelle suadere Franciscæ, ut denuo post congruum tempus ad se redeat; interim vero a sacra Pœnitentiaria dispensationem secreto petere, eaque obtenta, & Francisca ad se redeunte, eam de impedimento certiorem facere, petita tamen prius licentia secum loquendi de auditis in Confessione, & cum illa dispensare super dictum impedimentum,

ſervatis ſervandis. Si vero Confeſſarius deprehendat, Franciſcæ ignorantiam fuiſſe, aut eſſe vincibilē, & culpabilē, debet ex officio eā monere de impedimento, quia jā eſt in malo ſtatu: quod ſi nolit abſtinere a copula cum putato Viro, cæterisque illicitis inter ſolutos, donec diſpenſatio obtineatur, eam ſine Abſolutione dimittat. Ita communiter cum Alario verb. *Matr.* num. 36. Suarez tom. 4. diſp. 32. ſect. 5. num. 3. Diana, Navarro, Giribaldo, & aliis.

CAS. III. *Sacerdos ruri commorans quodam mane, deficiente miniſtro, qui in Miſſa reſpondeat, & miniſtret, ipſe ſibi miniſtrat & reſpondet.* Q. *An licite.*

Reſp. Negative, ſi nulla urgeat neceſſitas. Ratio eſt, quia facit contra præceptum Eccleſiæ prohibentis pluribus in Conciliis relatis à Juvenin. tom. 1. diſſert. 5. q. 7. cap. 1. art. 4. ne Sacerdos ſine uno ſaltem miniſtro celebret, revocatis privilegiis, alias Monachis incluſis, de quibus Emin. Bona, conceſſis. Hinc Suarez diſp. 87. ſect. 2. Facundez in primum præcep. lib. 2. cap. 21. n. 4. & alii arguunt culpæ lethalis contrafacientes, tanquam delinquentes in re gravi; limitant tamen in caſu gravis neceſſitatis, ut cum dandum eſt Viaticum Infirmo in pe-

periculo

riculo vitæ constituto, cum audiendum est Sacrum in die Festo & hujusmodi, nec non in casu specialis dispensationis, & privilegii.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *PUella undecim annorum habuit copulam incompletam cum Viro, in Confessione autem se accusavit tantummodo se habuisse tactus inhonestos cum illo, reticens copulam, partim ex rubore, partim quia ignorabat modum se explicandi, parata tamen totum fateri, si à Confessario fuisset interrogata, ut putabat; sed cum Confessarius eam non interrogaverit, ita Confessionem absolvit. Q. An fuerit valida ejus Confessio.*

Resp. Affirmative; non quidem quod Puella sufficienter expressit peccatum suũ dicendo, se habuisse tactus inhonestos cũ Viro; copula enim, quantumvis incompleta, utpote participans diversimode à puris tactibus inhonestis malitiam specificam luxuriæ, explicanda est in Confessione secundum suam individuationem, ut ex propos. damn. ab Alex. VII. ordine 25. & ex communi Fidelium praxi colligit Dominicus Viva; sed quia reticens copulam ex ignorantia modi se explicandi, quod, attenta ejus parva ætate, & animo alias parato ad totum ingenue fatendum,

si a

si à Confessario, ut putabat, fuisset interrogata, credibile est, fuisse præcipuum motivum ejus reticentiæ, bona fide potius, quam malitiose Confessionem suam sine expressione copulæ absolvit; per hujusmodi autem bonam fidem, seclusâ positiva malitia, satis probabiliter potest puella ista excusari à non servata omnimoda integritate suæ Confessionis, ut in simili docet Alarius lib. 5. verbo *Confessio* num. 55. de eo, qui nunquam confessus sit numerum peccatorum, quod à Confessario non fuerit interrogatus, quē, dicit, si abfuit malitia, satisfacere explicando postea numerum, & negligentiam in præteritis Confessionibus, quin easdē repetat; licet, ut postea subdit, tutius esset id per Confessionem generalem præstare. Ergo etiam Puella in casu nostro, adveniente majori cognitione, suæ obligationi satisfaceret explicando omissam copulæ incompletæ individuationem.

CAS. II. *Clericus ordinatus in sacris anno elapso, in quo festum sancti Laurentii Justiniani accidit die Dominica, ex devotione erga dictum sanctum, Officium ejus transtulit ad primam diem non impeditam; quamvis in Breviario sit ad libitum, eaque die aliud Officium non recitavit.* Q. *An satisfecerit suæ obligationi.*

Resp.

Resp. Negative, nisi id fecerit bona fide; putans etiam officium sancti ad libitum esse transferendum. Ratio est, cũ S. R. C. pluribus in Decretis à P. Merati citatis tom. 2. p. 1. sect. 3. c. 10. in novis observ. & addit. ad Gavanti commẽt. declaravit, hujusmodi Officia occurentia in die impedita alio officio de præcepto non esse transferenda. Clericus noster ea die, qua officium S. Laurentii Justiniani translatum recitavit, omisso alio, quod fuisset de præcepto recitandum, data opera, & pro libito suo unum Officium in aliud mutavit, & sic formam à S. Pio V. præscriptam ea die non servavit, ac proinde nec suæ obligationi satisfecit, ut idem Summus Pontifex ibidem declarat, dicens — *neminem ex iis quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse*. Nec juvat Clericum nostrum illud proloquium apud Theologos Moralistas commune — Officium pro Officio — quia hoc intelligendum est, quando mutatio accidit ex errore, ex inadvertentia, bona fide; non enim est præsumendum, Ecclesiam velle obligare ad duo Officia eadem die recitanda illum, qui sine culpa est: non autem quando mutatio sit voluntaria, & data opera, adeoque

culpabiliter

culpabiliter. Ita Bellarm. Regin. Homob. Gavantus, Rosignol. aliique magis communiter.

CAS. III. *Andreas Sacerdos celebrans Missam Defunctorum pro Patre Antonii, à quo recepit eleemosynam dicit Orationem, quæ in Missali assignatur pro Patre. Q. An bene.*

Resp. Negative. Ratio est, quia hujusmodi Oratio posita in Missali pro Patre, assignatur tantum pro Patre ipsiusmet Sacerdotis celebrantis, ut ostendit titulus, qui eidem præfigitur, non bene ergo dicitur pro Patre ejus, qui tribuit eleemosynam, nam alias dicit Gav. tom. 1. p. 4. tit. 18. de Rubr. Missar. pro defunctis n. 13. de Patre cujusque non convenit Oratio in ore Sacerdotis, ut patet audienti.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *RUsticus Diœcesis Bononiensis in die Festo Sancti Petronii summo mane, negotiorum causa, profecturus est Mutinam. Q. An & ubi teneatur Missam audire.*

Respondeo, nullibi teneri Missam audire: non in Territorio Bononiensi, cujus supponitur Incola, & a quo summo mane discedens proficiscitur Mutinam; quia præceptum audiendi Sacrum die fe-

sto

ſto, utpote affirmativum, obligat quidem toto illo tempore, quod concluditur ab aurora ad meridiem ejusdem diei, plusminusve, ſed non obligat pro aliqua determinata dicti temporis hora, adeoque in qualibet bene viſa impleri poteſt. Ruſticus ergo noſter, antequam iter aggrederetur, non tenebatur implere præceptum auditionis Sacri, ſed poterat differre ad meridiem uſque; ſi igitur circa hanc horam jam creditur extra Territorium, a quo liberum illi erat egredi, in ipſo Sacrum audire non tenebatur: ſed neque extra Territorium tenetur; quia extra Territorium, in quo Feſtum non celebratur, non urget præceptum audiendi Miſſam, quippe quod locum afficit, non Perſonas; nullibi ergo tenetur: ita Diana p. 1. tr. 10. reſol. 14. Palao, Antonius a Spiritu Sancto, Sanchez Girib. & alii. Limitant hanc ſententiam, alioquin communem, primo Naldus: dummodo iter faciens circa meridiem jam ſit e Territorio egreſſus; alias Miſſam audire vel tenebatur, antequam iter aggrederetur, ſi prævidit non poſſe alibi audire; quia qui prævidet, ſe impeditum iri ab impletione præcepti, tenetur prævenire; vel tenetur poſtea, ubicumque opportunitas Miſſam audiendi ei ſe præſentet;
quia,

quia, ut dictum est, præceptum respectu illius adhuc urget. Secundo Felix Potestas: Dummodo causa egrediendi a Territorio sit vera, & absit fraus, ut dicitur de Absolutione a Reservatis, quæ nemini patrocinatur. Tertio Suarez: Dummodo nullum adsit periculum scandali, nullaque sit Constitutio vel Episcopalis, vel Synodalis, quæ omnino servanda esset, sicuti & consvetudo, si quæ pie, & sancte introducta reperiretur, ut de facto reperiri apud plerosque populorum idem Doctor censet.

CAS. II. *Famulus se accusat in Confessione, quod de mandato sui heri furatus est modium tritici, de quo tamen nihil ipse participavit: Confessarius eumdem obligat ad restitutionem, si Herus ipse non restituat. Q, An juste.*

Respondeo affimative. Ratio est, quia tam Jubens seu Mandans, quam Executor seu Mandatarius sunt causa, totalis Furti, licet ille magis principaliter, iste vero minus: uterque igitur tenetur ad integram restitutionem rei ablatæ; Jubens quidem, seu Mandans prius, independenter, ut ita dicam, a quocunque alio, utpote causa principalior; Executor vero, seu Mandatarius in defectu illius. Juste igitur Confessarius in casu nostro obligat

Famulum

Famulum ad restitutionem tritici ablati de mandato Heri; si Herus ipse non restituat. Nec juvat, quod nihil famulus participaverit; nam hoc inducit utique aliam obligationem in Hero ad restituendum prius, & ex integro, utpote ille, apud quem res ablata reperitur, vel a quo consumpta est; at non eximit ipsum Famulū ab obligatione restituendi, si Herus non restituat; sicuti non eximeretur ab obligatione reperandi damna, si quæ forte de alterius jussu, vel mandato intulisset, per hoc, quod nihil in re lucri percepisset: ita communiter.

CAS. III. *Idem Famulus impotens de præsenti ad restituendum, pro quiete suæ conscientiæ petit per alium à Domino tritici condonationem, eamque obtinet. Q. An per hujusmodi condonationem etiam Herus dicti Famuli sit absolutus in conscientia ab obligatione restituendi.*

Respondeo negative. Ratio deducitur ex mox dictis, quia Herus utpote Mandans est causa principalis: famulus autem minus principalis Jam vero licet absoluta ab obligatione restituendi causa magis principali ab eo, cui furatum est, censeatur, & sit absoluta etiam causa minus principalis: non sic e converso, ut docent communiter Doctores: sed sicuti restituente causa minus principali in defectu

principalioris,

principalioris, hæc adhuc tenetur illi damnum compensare; ita, supposita etiam condonatione facta causæ minus principali, adhuc principalior tenetur restituere: ergo Herus in casu nostro non est a sua obligatione absolutus. Nec juvat, quod forte Dominus tritici ignoret, causæ condonet, & putet etiam principaliori se condonare; quia profecto motivum, quo ad condonandum inducitur, est impotentia petentis: ergo hunc solum, & ex tali motivo ab obligatione restituendi absolvit.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *SEjus vocatus ad ferendum testimonium circa Patrimonium sciebat fictè ab amico constitui pro quodam Clerico, ut amititiæ deferret, testatus est falsum.* Q. *An possit a quolibet simplici Confessario absolvi.*

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet Sejus in casu nostro graviter peccaverit, & insuper excommunicationem incurrerit latam in Synodo lib. 2. cap. 8. contra Testes deponentes falsum circa bona Patrimonii; tamen in nullam Reservationem incidit: non ratione peccati, quia in tabella casuum reservatorum reservatur solummodo peccatum constituentium Patrimonium fictitium; & de peccato Testium deponentium nulla fit mentio, non

ratione excommunicationis, quia ejus Absolutio in Synodo nulli reservatur, ut legenti patebit; si autem eam reservatam voluisset, expressisset utique, sicuti expressit de excommunicatione lata contra Sponsos de futuro, si cohabitantes invicem se cognoscant; ergo potest a simplici Confessario absolvi.

CAS. II. *Sponsus de futuro frequenter cogitat de copula habenda cum Sponsa post contractum Matrimonium per verba de præsenti; de eaque morose delectatur. Q. An peccet lethaliter.*

Respondeo affirmative, si sit vera delectatio sensibilis, & non purum desiderium, excludens quemcumque actualem affectũ malum de copula futura, habenda tempore, quo, contracto Matrimonio per verba de præsenti, licita erit. Ratio est, quia talis sensibilis delectatio de præsenti habita appetitus sensitivi, non habet pro objecto copulam futuram, ut futuram, sed copulam, quam veluti præsentem apprehendit, & cujus, vel saltem pollutionis de præsenti est veluti inchoato, & causa: Cum igitur Sponso de futuro copula non sit de præsenti licita, si de ea delectatur, vere delectatur de objecto graviter malo, ut

patet, & sic graviter quoque peccat: Ita Sanchez, Bossius, Girib. & alii.

CAS. III. *Mævius, & Theresia, ex dispensatione Ordinarii, Contracto Matrimonio per verba de præsenti tempore prohibito sine solemniis, transacto eodem tempore, petunt a simplici Sacerdote, ut Missam dicat pro Sponsis, ac benedicat de more Nuptias.* Q. *An iste simplex Sacerdos licite possit,*

Respondeo negative. Ratio est, quia Benedictio Nuptiarum, utpote Solemnitas ipsius Matrimonii, est de jure ejus, cujus est Matrimonio assistere, sicque proprii contrahentium Parochi; non potest ergo alter a proprio Parocho, sive simplex Sacerdos sit, sive etiam alter Parochus, licite Nuptias benedicere, nisi id faciat de licentia proprii Parochi; & si absque ejus licentia benedicere auderet, incurreret ipso jure pœnam suspensionis impositam a Trid. sess. 24. c. 1. & reservatam quoad absolutionem Ordinario proprii Parochi. Quin imo Synodus nostra lib. 3. cap. 3. declarat, nec etiam proprio Parocho licere hanc Benedictionem, & hujusmodi propriis Capellanis demandare, salvo tamen legitimo Impedimento; ergo minus licebit simplici Sacerdoti sine licentia eamdem impertiri.

MENSE

CAS. I. *PArochus sollicitatus a Parochiana ad turpia, non consentit; dicit tamen=Bonum tibi, quod sim Parochus, si non essem Parochus.... Q. An sic dicens graviter peccet.*

Respondeo affirmative: peccat enim primo, peccato scandali, quia per illa verba satis indicat Parochianæ sollicitanti ad turpia suam voluntatem consentiendi in illa: quodque ideo non consentit, quia timet pœnam, reservationem scilicet, in quam consentiendo incurreret; non quod odio habeat culpam, & Dei offensam. Deinde peccat etiam contra Castitatem: quia talis voluntas est vera delectatio turpium, nec eum excusat conditio illa apposita= Si non essem Parochus=quia hujusmodi conditio non tollit omnem malitiam ab objecto, sed solam illam majorem deformitatem, quam peccatum suum contraheret ex conditione Personæ quippe cum consentire in turpia malum sit, & illicitũ cuicumque; etiam non Parocho; ita cum Bonac. Alar. Palao, Girib. Doctores communiter. Excusaretur tamen a peccato gravi contra Castitatem, si non serio, & ex animo, sed solum ex quadam levitate talia verba proferret: at non sic puto posse facile excusari a peccato gravi scandali;

quia, attenta propria conditione Parochi, tenetur ex officio acriter ſollicitantem reprehendere, & a propoſito, quantum in ſe eſt, removere; unde ne ex levitate quidem poteſt ſine gravi ſcandalo voluntatē conſentiendi ſimulare.

CAS. II. *Vir quidam dives augendarum opum deſiderio flagrans, deliberate exoptat, ut Milites exteri iterum Regionem hanc invadant, ſuasque in ea moras ducant, ut ipſe carius exinde fruges vendat. Q. An peccet contra decimum Decalogi præceptum.*

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia iſte Dives adhuc magis diteſcere concupiſcit cum aliorum Proximorum damno, quod pati univerſaliter coguntur, Militibus ſuam Regionem invadentibus, in eaque moram trahentibus, quod enim propterea fruges carius vendantur, cadit profecto in grave damnum Pauperum; inde id deliberate intendere, eſt velle proprias opes augere modis illicitis, quod prohiberetur decimo Decalogi præcepto; contra hoc igitur peccat Dives in caſu noſtro deliberate exoptans &c. Ita ex Girib. tr. 14. in fine.

CAS. III. *Capellanus in nocte Nativitatis Domini immediate poſt Laudes recitat etiam quatuor horas Diurnas, putans ſequenti mane ſe nimis occupandum in audiendis*

endis Confessionibus, Q. An recte se gerat.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia ex una parte substantia præcepti recitationis Divini officii, quæ obligat sub gravi, consistit in hoc, quod dicantur horæ Canonicæ singulis diebus naturalibus, qui concluduntur ab una media nocte ad aliã mediam noctem; quod autem dicantur tali determinato diei tempore, est modus quidam, & circumstantia non adeo necessaria, & obligans dumtaxat sub levi: ex alia vero parte ad excusandum ab hujusmodi levi culpa, sufficit quæcunque causa, etiam levis, non servandi tale tempus determinatum pro una quaque hora, ut cum Tamb. Leand. Dian, & Girib. docent communiter Doctores; ergo a fortiori immunis erit a quacumque culpa, qui id præstat ex motivo charitatis; quinimo si propterea tempus præveniat, recte insuper se gerit exercens actum prudentiæ, & diligentiæ. Cum igitur Capellanus noster in nocte Nativitatis Domini ideo immediate post Laudes recitet quatuor horas Diurnas,& sic præveniat tempus recitationis earumdem, quod prævideat sequente mane se nimis occupandum in audiendis Confessionibus, quod est opus excellentissimæ Charitatis, recte utique se gerit.

ANNO

ANNO MDCCXLVII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *Vitalis proprium Filium, quem habuit ex Berta, in casu extremæ necessitatis baptizat. Q. An cognationem spiritualem contrahat cum Berta.*

Respondeo cum distinctione: vel Berta est legitima Uxor Vitalis, vel non: Si primum, nullam cum ipso contrahit cognationem spiritualem, ut expresse habetur in cap. *ad limina* 33. q. 1. & ratio est, quia hæc cognatio spiritualis esset Vitali maxima pœna, cum eidem usum Matrimonii impediret, quæ pœna consequitur culpam. Quis autem dicet, peccare Vitalem proprium Infantem ex Berta sua legitima Uxore genitum baptizando in casu extremæ necessitatis? Meretur potius, quia suæ obligationi satisfacit, & spirituali saluti consulit susceptæ prolis. Si secundum, inter Vitalem & Bertam consurgit cognatio spiritualis, quæ subsequens Matrimonium impedit, ut clare colligitur ex cit. cap. *ad limina*, ubi tantum excipitur casus Patris baptizantis proprium Filium ex propria Uxore susceptum, jam Matrimonio contracto. Neque hic urget superior ratio, nam cognatio spiritualis orta post Matrimonium contractum est pœna, non vero si oriatur ante Matrimonium,

nium; etenim eo tunc pertinet potius ad quoddam amicitiæ genus, & vinculum unitatis, in cujus reverentiam Ecclesia Matrimonium prohibuit inter personas cognatione spirituali obstrictas; & de facto Parochus baptizans cognationem spiritualem contrahit, quin sit pœna: ita Sanchez de imped. matrim. disp. 62. n. 10. Bonacin. tr. 1. de Bapt. resol. 96. num. 6. Girib. & alii.

CAS. II. *Quidam Sacerdos non abstergit Purificatorio Calicem intra cujus latera nonnullæ guttæ adhærent, ab alia mareria, quæ est in fundo Calicis separatæ Q. An guttæ illæ consecratæ remeneant.*

Responpeo cum distinctione: vel guttæ sunt separatæ a vino existente in fundo Calicis ante infusionem aquæ, vel post: Si primum, non remanent consecratæ, quia cū sic non sint licitè consecrabile ut pote cum aqua non mixtæ præsumendum non est, in Sacerdote adfuisse intentionē eas consecrandi, secus graviter peccaret. Si secundum, probabilius remanent consecratæ, quia sunt guttæ vini aqua permixti, sunt intra Calicem, & per pronomen *hic* designantur; ergo ad eas licite poterat dirigi intentio consecrantis. Verum quia regulariter istæ guttæ resiliunt in prima infusione vini, antequam aqua infundatur, recte Gavantus 5. p. in Rubricas

bricas Miſſ. tract.. 7. n. 4. Puteob. q. 1. de Euch. art. 3. n. 6. Girib. aliique docent, conſecratas non eſſe. Ad repellendos ſcrupulos curet Sacerdos ante conſecrationem unire has guttas cum aliis partibus, ſi commode id fieri poſſit, alioquin eas linteolo abſtergat, ut monet cit. Gavant.

CAS. III. *Terentius recuſat ſedere ad Convivium, ubi tredecim ſunt invitati, eo quod timeat, unum ex Diſcumbentibus eo anno eſſe moriturum. Q. An incidit in grave peccatum ſuperſtitionis.*

Reſpondeo: cum ex D. Thom. timor pertineat ad appetitivam potentiam, quæ in homine cognitionem ſequitur, examinandum eſt, an Terentius ex firmo intellectus aſſenſu, an ex levi tantum credulitate, ad mortem timendam in caſu ducatur. Si primũ, graviter ſuperſtitioſe peccat. Ratio eſt, quia cum nec convivium, nec numerus diſcumbentium apta ſint ſignificare, & multo minus cauſare mortem, neque de hoc habeatur ulla Divina inſtitutio, aut traditio: ſi mors firmo judicio timetur, id evenit unice ex pacto tacite inito cum Dœmone, ut in ſimili docet D. Aug. lib. 2. de Doctrina. Chriſt. cap. 20. quod ſuperſtitioſum eſt, cum timeatur malum ex medio prorſus

ſus inutili, & a Divina providentia minime inſtituto: Si vero Terentius levi tantum credulitate ducatur, & ſine aliqua certitudine futuri eventus, graviter non peccat, quia id potius ex animi levitate, quam ex præſumptione mali, & pacti taciti initi cum Dæmone evenit. Limitant tamen DD. hanc reſponſionem, dũmodo quis admonitus de tacita Dæmonis invocatione, a vana illa obſervantia deſiſtat, alias, ceſſante eo, tunc ex ignorantia graviter peccat: ita Leſſ. de ſuperſtit. lib. 2. cap. 43. dub. 7. n. 43. Suarez, Girib. & alii.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *JUdex in cauſa duorum Litigantium, rationes habentes hinc inde probabiles, ut ſine injuſtitia in utramlibet partem inclinare poſſit, ab uno pecuniam accipit, ut in ſui favorem ſententiam ferat. Q. An peccet, & teneatur ad reſtitutionẽ.*

Reſpondeo affirmative quod utramque partem: Ita præſentem caſum reſolviſſe viſus eſt Alex. VII. prop 26. proſcribendo = Quando Litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio = ex cujus damnatione licet dilucide dumtaxat appareat, non poſſe in caſu Judicem pe-

cuniam

cuniam accipere, infertur tamen, etiam ad restitutionem teneri: Ratio est, quia Judex ex Justitia tenetur gratis totam, & integram litem adjudicare; sed quando Judex aliquid accepit pro adjudicanda sententia uni potius, quam alteri, gratis non adjudicat, vendit, quod vendibile non est, neque dat totum, ad quod ex justitia tenetur; ergo peccat contra justitiam & ad restitutionem tenetur. Eruitur ex P. Viva in dictam propositionem damnatam,

CAS. II. *Confessarius in actuali Confessione Pœnitentem sollicitat ad actus ex sua natura tantum venialiter inhonestos. Q. An sit denuntiandus.*

Respondeo affirmative; & ratio est, quia licet actus aliqui videantur ex natura sua tantum venialiter inhonesti, ex circumstantia Confessionis Sacramentalis lethales evadunt propter gravissimam injuriã, quæ Sacramento irrogatur, & graviter virtuti Religionis opponuntur; & sexcentis exemplis constat actus alias leves ex natura sua, ex aliqua circumstantia adjecta fieri graves, maxime si circumstantia addat oppositionem alteri virtuti. Additur, ex signis etiam leviter dumtaxat inhonestis facile colligi a Pœnitente animum Confessarii progrediendi ad ulteriora;

riora;

riora; consequenter habetur totus finis legis præcipientis denuntiationem Confessarii sollicitantis ad turpia. Bossius dub. 28. n. 51. Felix a Poteſt. tom. 2. part. 3. c. 4. Gerib. & alii.

CAS. III. *Titius, dum die Festo audit Missam, sua confitetur peccata. Q. An satisfaciat præcepto.*

Respondeo cum distinctione, vel longa eſt ejus Confessio, vel expedita: Si primum, adeo ut Sacerdos eo tempore notabilem Missæ partem absolvat, Titius non satisfacit præcepto Ecclesiæ: Ratio eſt, quia licet Confessio sit actio spiritualis, tamen excludit attentionem internam, quæ necessaria eſt adimpletioni præcepti audiendi Missam, ut experientia docet, cum Pœnitens totus sit in exponendis peccatis, excipiendis Confessarii admonitionibus &c. quæ mentem abstrahunt ab iis, quæ in Sacrificio fiunt: si secundũ, Titius satisfacit, quia brevitas temporis non tollit substantialiter adimpletionem præcepti, sicuti in aliquibus aliis præceptis parvitas materiæ excusat ab eorumdem transgressione. Adverte tamen, eam Missæ partem, a qua Titius eſt distractus per Confessionem etiam brevissimam, non debere esse de substantia Sacrificii: nam si ad ejus essentiam spectat, quales sunt

consecratio

consecratio, oblatio, & per plures etiam sumptio, Titius non satisfacit, quia, licet istæ partes modicæ sint quoad duratione maximæ tamen sunt quoad substantiam, & essentiam Sacrificii. Ita Girib. Rosignol. & alii communiter.

MENSE MARTII.

CAS. I. *ANtonius pœtentiam Sacramentalem sibi a Confessario impositam adimplere non curat, dicens, per acquisitionem Indulgentiæ Plenariæ se velle Deo satisfacere. Q. An excusetur ab onere adimplendi talem pœnitentiam.*

Respondeo. Quamvis aliqui doceant eum, qui consequitur Plenariam Jndulgentiam, solvi ab onere adimplendi pœnitentiam a Confessario injunctam, tamen censeo cum Girib. aliisque, apud ipsum tract. 7. cap. 12. dub. 10. num. 64. non excusari: Ratio est, quia pœnitentiæ executio spectat ad integritatem Sacramenti, estque de jure divino; & sic, licet possit Pœnitens Indulgentiã Plenariam lucrando aliisque mediis satisfacere pro pœna temporali ex peccato absoluto relicta, adhuc tamen tenetur satisfactionem adimplere, ut faciat Sacramentum integrum: tum quia, cum pœnitentiæ, ut plurimum, nedum sint satisfactoriæ pro peccatis præteritis, verum etiam medicinales ad

præcavenda

præcavenda peccata futura, earum efficacia non compenſatur adæquate Indulgentiam lucrando, ergo neque tollitur earumdem obligatio. Alias rationes vide apud Girib. cit.

CAS. III. *Cajus ſimplici Confeſſario confitetur peccata reſervata: hic adit ſuperiorem, ut petat facultatem illum abſolvendi, & eam optinet; ſed antequam abſolutionem impendat, reperit Cajum in aliud peccatum pariter reſervatum de novo incidiſſe. Q. An vi obtentæ facultatis poſſit illum etiam ab hoc ultimo peccato abſolvere.*

Reſpondeo cum diſtinctione; Vel Confeſſarius facultatem obtinuit abſolvendi Cajum à quibuſcumque caſibus reſervatis ſine diſtinctione, aut exceptione aliqua: vel impetrata facultas limitata eſt quoad ſpeciem peccatorum, indeterminata tamen quantum ad numerum: vel tandem nedum quoad ſpeciem, ſed etiam quoad numerum definita. Si primum; eſt valde probabile, poſſe Cajum etiam ab illo ultimo peccato reſervato abſolvi, quia facultas obtenta illimitata eſt, ac videtur a Superiore conceſſa juxta indigentiam Caji uſque ad ultimum Confeſſionis complementum. Si ſecundum; non poteſt abſolvi, ſi illud ultimum peccatum ſpecie differat a prioribus, cum ſub conceſſa

facultate

facultate non veniat: si vero claudatur sub eadem specie, probabilius potest absolvi propter rationem superius allatam. Tandem si tertium asseratur; negative respondeo: cum enim Superioris voluntas in casu nedum speciem, sed etiam quod ad numerum limitata sit, talis etiã impetrata facultas censenda est. Ita Rosign. de pœnit. quæst. 8. art. 19, sect 4. Tambur. de casib. reserv. cap. 9. qui tamen, quæ primo, & secundo loco diximus, cum aliquo scrupulo admittit. Adverte in hac Diœcesi, cum regulariter facultas quœratur de jam auditis ad ea dumtaxat censetur limitata, unde non posset Cajus a reservato, post obtentam facultatem perpetrato, absolvi.

CAS. III. *Parochus lampadem ante Sacramentum Altaris non tenet accensam. Q. an lethaliter peccet.*

Respondeo affirmative, si per diem, aut, noctem integram id negligat: id deducitur ex Rit. Rom. de sacra Euch. in Rub. §. 6. = Lampades coram eo, nimirum Venerabili Eucharistiæ Sacramento) plures, vel saltem una, die, necteque perpetuo colluceat = quæ Rubrica cum respiciat cultum tanto Sacramento sub gravi debitum, graviter delinquit Parochus illum negligens: tum quia sicuti ex communi DD. sententia in nullo casu licitum est

fine

ſine lumine Euchariſtiam conficere, quãvis urgeret neceſſitas deferendi Viaticum moribundo, ita cum eadem reverentia debeatur Euchariſtiæ in incruento Sacrificio oblatæ, ac in Sacrario aſſervatæ, a gravi culpa excuſari nequit Parochus negligens, per diem, aut noctem integrã, ut lampas ante ſanctiſſimũ Sacramentũ ardeat. Diana tom. 2. tract. 1. reſol. 154. Gobat. Bordonus. & alii.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *TErentius peccator occultus, enixe rogat Sacerdotem, ut ad Sacrilegium, & grave ipſius damnum vitandum, illum particula non conſecrata Communicet. Q. An hoc licite præſtari poſſit a Sacerdote.*

Reſpondeo negative; ſiquidem ex Innoc. III. cap. *de Homine*, de celebrat. Miſſarum, falſa ſunt abjicenda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora. Ratio autem eſt, quia, ut inquit D. Thomas 3. part. quæſt. 80. art. 6. ad ſecundum, Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idololatrare illos, qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſeu alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem; quia, ut Auguſtinus dicit, nemo Carnem Chriſti manducat, niſi prius adoret, quod ſane gravius eſt malum, quam formulam Con-

ſecratam diſpenſare indigno, ut clarè infertur ex laudato Canone, & ideo &c.

CAS. II. *Quidam Parochus Indulgentiam centum annorum obtinuit pro illis omnibus, qui, diebus Feſtivis, Veſperis, & Benedictionibus interſunt. Q. a Parocho illius Indulgentiæ explicatio.*

Reſpondeo. In conceſſione Indulgentiæ centum annorum non eſt ſenſus, quod per illam relaxetur pœna luenda per centum annos in Purgatorio; ſed quod remittatur tanta pœna Purgatorii, quanta deleta fuiſſet per pœnitentiam centum annorum juxta antiquos Canones; nam olim pro gravibus peccatis, v. g. Adulterio, Homicidio &c. pœnitentia ſeptem, & plurium annorum injungebatur; unde qui centum & mille peccata commiſiſſet, debuiſſet, & mille annis pœnitere, ſi fieri potuiſſet. Illas tamen pœnitentias agentes non ſolebant continuo, ſed ſemel atque iterum jejunare, aut ſimilem afflictionem ſubire, ut docet hic Cardin. Belarm. Itaque centum annorum Indulgentiæ primario referuntur ad pœnam in hoc ſæculo exſolvendam juxta laudatos Canones; ſecundario, ſeu conſequenter ad pœnam Purgatorii, quia omnis Indulgentia minuendo ab Eccleſia injuncta, minuit etiã partem pœnitentiæ, quæ eidem in altera

vita

vita, secundum mensuram soli Deo cognitam, respondet.

CAS. III. *Clericus Beneficium adeo tenue obtinuit, ut ad suæ vitæ sustentionem non sufficiat. Q. An Officium Divinum recitare teneatur.*

Respondeo affirmative: quia omnia jura clamantia, Beneficium dari propter officium, generaliter loquuntur, nec inter pingve, ac tenue distingvunt, ut cap. ult. de rescrip. in 6. Concil. Later. sub Leone X. serm. 9. & clarius in Constit. S. Pii versiculo *declarantes &c. & qualiacumque alia Beneficia*, sed Beneficium, quantumvis tenue, est verum beneficium ergo &c. Neque obstat illud proloquium = qui Altari inservit, de Altari vivit = hoc enim non valet de illo, qui sponte inductus est minori stipendio; Clericus autem sponte Beneficium acceptavit; ergo voluntarie se omnibus ejusdem Beneficii oneribus subjecit; præsertim cum servitiũ Altaris diem non consumat, unde alia via potest sibi victum comparare, ut dicitur in cap. *Clericus* dist. 91. Girib. tract. 5. in primum Decal. præcept. c. 3. Homobonus. Gavant. & alii.

MENSE MAII.

CAS. I. *PArochi quidam rurales, occasione*

ctione Festi propriæ Ecclesiæ, & Exequiarum, nullo facto verbo cum præsente Plebano Archipresbytero, alteri ex Parochis Missam decantandam committunt: conquerenti autem Archipresbytero respondent: Archipresbyter, & Parochi pares sunt. Q. An recte se gesserint, & verum responderint,

Respondeo in hoc casu, qui fortuito in harum Decisionum seriem irrepsit; Primo, servandas esse consvetudines locorum, quæ, ut inquit Fagnanus l. 1. decret. cap. 7. n. 12. in similibus fere tot sunt, quod Diœceses; Secundo afferam §. P. Anacleti Reinfenstuel. l. 1. decret. tit. 24. de Archipresbytero=Illud dumtaxat juvabit addere quoad Archipresbyteros, seu Decanos rurales, quod ipsi debeant sedulo circumspicere mores, vitamque aliorum Presbyterorum, & Clericorũ in suo Archipresbyteratu, attendere, qua industria per eosdem cura exerceatur animarum, idque Episcopo renuntiare. Insuper Clericorum suorum leviora jurgia amicabiliter componere.=Cumque laudatus Auctor nil amplius addat; neq; ego aliquid adderem, nisi quod certo certius esset, ac ab omnibus Constitutionibus Synodalibus sancitum Archipresbytero Plebano, tum propter præeminentiam muneris, tum propter nomen ipsum Archipresbyteri,

chipresbyteri, quod dignitatem redolet, multum honoris etiam supra simplices Parochos esse deferendum. Harum brevium responsionum institutum plura non patitur.

CAS. II. *Mortuo Divite, & instantibus Hæredibus, publicatur Monitorium cum Excommunicatione Majore contra eos, qui aliquid de ejus bonis acceperunt, si quamprimum non restituant; Fabius dicti Divitis Creditor, arrepta Mortis occasione, se compensavit in ejus bonis; dubitans modo, an teneatur restituere, ne Excommunicationem incurrat, consulit Confessarium. Q. Confessarii responsum.*

Respondeo, non teneri ad restitutioné, neque Excommunicationem incurrere. Ratio est, quia Excommunicatio major cum sit maxima pœna, non incurritur nisi ob peccatum lethale; in casu autem hujusmodi peccatum non intervenit, ut patet: idque maxime, si compensatio fuerit licita. Quod si fuerit illicita, puta, quia propria auctoritate se compensavit, cum absque gravi incommodo per Judicis sententiam rem suam recuperare potuisset, adhuc non restituendo, Excommunicationem non incurrit, si tamen ejus Creditum erat certum, & liquidum, nec plus quam sibi debebatur, accepit; ratio est,

quia talis retentio, quæ ſola latæ Excommunicationis eſt motivum, nec illicita eſt, nec culpabilis, ac proinde neque obnoxia pœnæ.

CAS. III. *Octavius Votum fecit jejunandi ſingulis annis in Feſto Sanctæ Apolloniæ; ſed cum hoc quandoque incidat in diem Dominicum, dubitat an hac die, vel Sabbatho antecedente jejunare teneatur. Q. Dubii ſolutio.*

Reſpondeo, cum ex D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5. jejunium ſit duplex, aliud afflictionis, ad macerandum corpus, ut illud ſpiritui ſubdat, aliud exultationis, ut jejunans liberius contemplationibus vacet, & magis ad ſpirituale gaudium, Feſtumq; celebrandum diſponatur: videndum eſt, an Octavius in Voto jejunii primum finem intenderit, an ſecundum; ſi primum, debet jejunare in Sabbato præcedenti juxta morem, & uſum univerſalis Eccleſiæ; ſi ſecundum, videtur, quod debet jejunare die Dominico. Ratio eſt, quia hoc jejunium licitum eſt; Votum autem licitum obligat. Eſſe autem licitum conſtat ex D. Hieron. epiſt. ad Lucinium. D. Thom. cit. D. Antonino p. 2. t. 11. cap. 2. aliisque apud Sayrum lib. 2. cap. 8. neque obſtat, quod can. *ſi quis Presbyter*, diſ. 30. jejunium die Dominico prohibeatur;

nam

nam id intelligitur, quando jejunatur ex contemptu diei Dominicæ, vel ex superstitione, & errore hæreticorum; alias ex devotione licet. Cæterum pro praxi, in dubio præfatæ intentionis, & etiam universalius loquendo, licet possit jejunare die Dominico, regulariter consulendum est, ut se conformet spiritui Ecclesiæ, ad vitandam singularitatem.

MENSE JUNII.

CAS. I. *ANtonius prima Jubilæi hebdomada absolutus a reservatis, secunda hebdomada, alia peccata pariter reservata committit. Q. An iterum possit absolvi.*

Respondeo, non est improbabilis opinio affirmativa. Ratio esse potest; quia concessio hæc est favor, qui non est restringendus, sed ampliandus; tum quia secus qui diligentia sua sibi noceret, dum scilicet ex sua devotione cæteros præveniendo in acquisione Jubilæi in ipsa prima hebdomada, non posset illud in secunda lucrari, ut faciunt qui etiam ex negligentia omiserunt in prima præstare opera ad illud consequendum requisita. Opinio tamen negans probabilior est, ac in praxi tutior, ut docet Mazuchellus, & Girib. aliique de Jubilæo, maxime si extat declaratio sacræ Congregationis Concilii sub.

Clem.

Clem. VIII. Menſe Maij Anno 1620. cui obtemperandum eſt.

CAS. II. *Silveſter habens peccatum mortale in anima, cujus non recordatur, confitetur in Paſchate ſola venialia; ſed cum poſt menſem a facta Confeſſione illius peccati reminiſcatur, dubitat, utrum ad implendum præceptum teneatur denuo confiteri. Q. Dubii ſolutio.*

Reſpondeo, Silveſtrum teneri quamprimum confiteri peccatum in priori Confeſſione obiitum. Ratio eſt, quia adhuc urget præceptum annuæ Confeſſionis, cui non eſt ſatisfactum a Silveſtro per Confeſſionem dumtaxat venialium; ergo tenetur illud mortale oblitum quamprimū ſubdere clavibus. Dixi, quamprimum: quia licet tempus annuæ Confeſſionis a prima die Januarii usque ad finem Decembris permulti computent; facilior tamen computatio eſt, & Eccleſiaſticæ conſvetudini conformior a Paſchate in Paſcha: cumque tempus Paſchale determinatum ſit non ad finiendam obligationem, ſed ad ulterius non differendam: ſequitur, Silveſtrum obligationi præcepti teneri quamprium ſatisfacere. Ita Suarez diſp. 36. ſect. 4. Coninch. Layman, Sporer, aliique.

CAS. III. *Petronius bene valens mane* ſumpſit

sumpsit Eucharistiam, & vespere infirmatur ad mortem. Q. An denuo debeat Communionem sumere per modum Viatici.

Respondeo, probabilius non debere iterum sacram Eucharistiam sumere. Ratio est, quia Petronius revera accepit Eucharistiam in suæ vitæ confinio, & paulo ante mortem, eademque die, qua iturus erat ad æternitatem; consequenter eo tempore, quo Christus præcepit sumptionem Eucharistiæ. Neque obstat, quod Petronius non cognoverit hoc tempus advenisse; nam ignorans esse diem festum, & mane audiens Missam, præcepto satisfacit, licet eo tunc non advertat, præceptum vigere; ita a pari: tum quia, cum per illam Communionem fuerit Petronius sufficienter corroboratus, & spiritu vivificatus, prudenter judicatur obtentus finis illius præcepti, cessante autem præcepti fine, præceptum desinit obligare: unde sicuti ex hoc motivo, ut puto, communicat Sacerdos, qui vix completo sacrificio constituitur in vitæ termino; ita a pari quia parum refert, quod mors distet a Communione potius per plures horas, quam per plures horæ quadrantes, modo vivificetur Communione facta in vitæ termino, Suarez, Pelliz. De Lugo, aliique.

MENSE JULII.

CAS. I. *PArochus celebrans ultimam Missam, unicam tantum consecrat Hostiam, & post consecrationem recordatur, se aliam debuisse consecrare publice exponendam pro adoratione quadraginta Horarum. Q. An Hostiam a se consecratam pro se, pro illa publica adoratione asservare possit, & se communicare cum aliqua ex particulis consecratis.*

Respondeo negative: Clare colligitur ex can. *relatum* de Consecr. dist. 2. ubi dicitur, Sacerdotem celebrantem non tantum debere participare de Sacramento, verum etiam de Sacrificio. Tum quia in Rubrica Missalis præscribitur, quod si in Hostia consecrata venenum appareat, debeat Sacerdos novam Hostiam consecrare, quam sumat: Id autem non esset recte statutum, si liceret ei tunc sumere Hostiam ab alio consecratam, & asservatam in Tabernaculo: imo id præcipere debuisset, quia secunda consecratio sine sacrilegio fieri non potest, nisi necessaria sit ad perfectionem Sacrificii; sed semel ac posset licite perfici Sacrificium cum Hostia ab alio consecrata, non esset necessaria nova consecratio ad ejusdem perfectionem; ergo &c. Ita SS. D. N. Bened. XIV. in suis adnot. p. 4. sec. 2. n. 149. De Lugo de Euch. disp. 19. sec. 5. n. 76. Silvius &c.

CAS. II. *Sacerdos Latinus post consecrationem tum Hostiæ, tum Calicis advertit, panem a se consecratum esse corruptum. Q. Quid agere debeat casu quo non habeat alium panem Azymum.*

Respondeo, licet ad valorem Sacramenti sufficiat panis triticeus, sive azymus sive fermentatus, ut est definitum in Concil. Florentino, tamen de necessitate præcepti Græci in fermentato, Latini in azymo consecrare debent; quæ obligatio adeo gravis est, ut neque ad audiendam Missam in die festo, neque ad dandum Viaticum Infirmo, liceat ab hoc ritu recedere. Unum tamen casum excipiunt Madernus q. 2. ar. 1. n. 24. & Gonetus, nec repugnat Giribaldus, nimirum, quando quis post consecrationem tum Hostiæ, tum Calicis, adverteret panem a se consecratum esse corruptum. Ratio est, quia datur prœceptum Divinũ de perficiendo Sacrificio, quod semper prævalet Ecclesiastico; & ideo illud observandum.

CAS. III. *Fabius emisit Votum recitandi centies in anno Salutationem Angelicam, & nunquam recitavit. Q. An peccaverit lethaliter.*

Respondeo cum distinctione. Vel emisit votum recitandi centies in anno Salutationem Angelicam centum distinctis diebus,

diebus, adeo ut unicuique diei correſpondeat una Salutatio Angelica; vel Salutationes Angelicas vovit ſimpliciter ſine aſſignatione, & diſtributione dierum: Si primum, Fabius lethaliter non peccavit, earum recitationem omittendo, & ratio eſt quia ſingulæ Salutationes Angelicæ ſingulis diebus affixæ ſunt materia levis, & onus diei, quod tranſit cũ die, nec cum reliquis coaleſcit in unum, unde Fabius centies dumtaxat venialiter peccavit. Si ſecundum, Fabius eſt reus peccati gravis, peccati gravis, quia totus numerus Salutationũ Angelicarũ a vovente intentus, eſt materia in ſe gravis. Sanchez l. 1. c. 4. n. 14. Diana, Leander. & com.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Silvius pingue Legatum reliquit Uxori ſuæ, dummodo in ſtatu Viduitatis permaneat, Q. An ingrediendo Religionem Legatum deperdat.*

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia ita jura ſtatuunt, ne melior ſtatus deſeratur ob conſecutionem Legati quia per Religionis ingreſſũ vere ſtatus Vidualis ſervatur. Neque dicas, mentem Teſtatoris ſervandam eſſe in ſpecifica forma, cum de illa expreſſe conſtat. Reſpondeo, mentem Teſtatoris ſervandam eſſe in ſpecifica forma, quando non adverſatur juribus; jura autem apud Sanchez. l. 7. de matri. diſp. 91. num. 46. in favorem

Religionis habent tanquam non adjectas eas conditiones; quæ servatæ in specifica forma, ut obtineatur Legatũ, a Religione retraherent: tum quia præsumendum non est, Legantẽ velle contrariari dispositioni juris; tum quia in casu vere etiam in specifica forma adimpletur mens Fabii, cum per ingressum in Religionem non tollatur status vidualis, sed perficiatur. *Sanchez*, Anton a Spiritu sancto, aliique communiter.

CAS. II. *Publicus Notarius conficit Instrumentum Usurarium sub nomine alicujus liciti Contractus. Q. An ad restitutionem teneatur.*

Respondeo cum distinctione. Vel Notarius conficit Instrumentum Usurarium sub nomine alicujus liciti Contractus, V. G. veri mutui, vel venditionis, volente mutuatario; vel conficit dictum Instrumentum, mutuatario nolente, aut fraudẽ & dolum nesciente. Si primum, Notarius ad restitutionem non tenetur; ratio est, nam supposito, quod mutuatarius petat pecuniam ab Usurario, & vocet Notariũ ut sub nomine alicujus liciti Contractus Instrumentum conficiat, idem notarius non lædit invitũ, nec ex usura recipit lucrum; ut facit Usurarius; nam hic, etsi faciat rem gratam mutuatario, cum tamen recipit lucrum ex usura, tenetur tale lucrum restituere: Si vero secundum,

tenetur

tenetur ad restitutionem, quia cooperatur Usurario, & est causa efficax, ut usuræ solvantur, & ex parte mutuatarii datur involuntarium, fitque illi injuria. Aut: a Spiritu Sancto, Bonacina, Tamburinus aliique.

CAS. III. *Quidam Beneficiarius heri non recitavit Officium; ut autem ab onere restitutionis se eximat, hodie bis. Q. An a restitutione sit liber.*

Respondeo negative: sic colligitur ex Bulla Pii V. ubi clare dicit ⸗ Eum, qui non recitat suo tempore Officium, non facere fructus suos: ⸗ & rursus ⸗ Beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officii, & temporis, suos non facere: ⸗ ergo; supposito hoc Pii V. Decreto, licet quis alia die supplet defectum commissum in recitatione Officii, minimè liberabitur, a restitutione fructuū; tum quia onus Divini Officii, est affixum diei, & transit cum die; ergo alia suppleri non potest: neque dicas, in tali casu repeti æquale; nam id probat tantum, attento jure naturali, liberari Beneficiarium a restitutione supplendo alia die pensū horarū; verum in hac re attendendū est ejus positivū relatum Pii V. Leander p. 6. tract. 8. quæst. 15. Bonacina Pelliz. &c.

CAS.

CAS. I. *POmpejus in Paschate non communicavit; & timens, ne Parochus illum denunciet Episcopo, illi summam largitur pecuniæ. Q. An iste parochus sit Simoniacus.*

Respondeo probabilius negative, licet graviter peccet, & in suo munere delinquat. Ratio est, quia in dato casu, non datur exercitium potestatis spiritualis, & jurisdictionis, sed potius negatio illius; Simonia autem committitur, cum actus aliquis, pecunia accepta, descendit ab exercitio spiritualis potestatis: neque dicas: in cap, *nemo* de Simon: prohibetur Presbyteris, ne a peccante publice aliquid accipiant, ut ejus peccatū Episcopo, aut ejus ministris celent. Respondeo, licet ex hoc textu aliqui Canonistæ dicant, omissionem actus spiritualis pro temporali pretio esse Simoniacam; tamen multo plures id negant: quod si dictum caput ponitur sub titulo de Simonia, ideo est, quia Pontifex prosequitur prohibendo, ne Presbyter, propter gratiam, & favorem, vere Pœnitentem ad reconciliationem admittat, neque propter favorem a reconciliatione removeat, quæ duo Simoniaca sunt. Itaque tunc solū omissio actus potestatis spiritualis, propter pretium,

tium, Simoniaca est, quando in ipsa p̄-missione relucet aliquod exercitium potestatis spiritualis, quod cum non verificetur in casu nostro, ideo &c. Gonzalez in l.5. Decr. T.3.c.1 3. Barbosa Suarez &c.

CAS. II. *Albertus promisit Sicario centum aureos, si Petrum occiderit. Q. An Albertus, secuto effectu, teneatur stare promissis.*

Respondeo, aliqui negant, quia ex actu injusto, nimirum homicidio, non potest oriri obligatio justitiæ. Cōmunius affirmant cum D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. Lessio, Lugo, Diana, Tamburino, & aliis. Ratio est. quia centum aurei non sunt promissi pro peccato, quod nihil est & invendibile, sed pro aliis circumstantiis, nimirum labore, periculo, susceptis in patratione homicidii, quæ pretio æstimabilia sunt, ac esse possunt materia Contractus: unde sicuti ex hac ratione Sicarius, patrato homicidio, potest pecuniā promissam exigere; ita ex eadē Albertus tenetur eam solvere. Verum hæc opinio satis communis, quomodo cohæret, cum eo, quod tradit Greg. IX. tit. de pactis cap. 8. Ibi enim Pontifex, postquam irritaverit pactiones Simoniacas, addit: = Quod etiam de aliis dicendum est, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum;

tum, nam etiã juxta legitimas ſanctiones pactum turpe rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit ≡? porro, ſi, effectu ſecuto, eſſet obligatio ſolvendi pretium promiſſum tale pactum non eſſet nullius momenti: ut inquit Gregor.

CAS. III. *Thadæus, poſtquam cum Berta vera contraxit ſponſalia, alia contrahit cum Thereſia, & juramento confirmat. Q. An prima ſponſalia per ſecunda diſſolvantur.*

Reſpondeo negative. Ratio eſt, quia ſecunda ſponſalia, cum ſint de re illicita, ut pote contra fidem datam priori Sponſæ, non poſſunt juramento firmari, ſiquidem juramentum non eſt vinculum iniquitatis: conſequenter adjectum ſecundis Sponſalibus neque eſt vinculum. Girib. & comm.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *THeodorus Diaconus habens Mutinæ Domicilium, ubi Officium occurrit de feria, die craſtina Bononiam venire debet, ubi feſtum celebratur ſancti Petronii. Q. An hoc ſero Veſperas, & Matutinum ſancti Petronii recitare poſſit.*

Reſpondeo poſſe, ſed non obligari. Ratio eſt, quia cum cras ſit futurus peregrinus Bononiæ, poterit, ſed non ſub

obligatione

obligatione, se reddere huic Ecclesiæ conformem, & cras officium S. Petronii recitare. Cum ergo Officium vespertinū sit pars Officii crastini, non est improbabile, posse anticipate a Theodoro persolvi, tanquā pertinens ad idē crastinū. Neque dicas, quousque Theodorus est Mutinæ, non potest frui privilegio Bononiæ, quod est concessum ratione loci. Respondeo, proxime accingendus habetur pro accincto, & sicuti proxime ingressurus Religionem quibusdam privilegiis fruitur, quibus fruuntur jam ingressi, ut apud de Vecchis in praxi Novit. Ita proxime accessurus ad locum potest incipere frui privilegiis loci, maxime per actionem, quæ complenda est in loco. Tambur. cap. 5. §. 2. num. 25. Diana, Girib. aliique.

CAS. II. *Publicus Concubinarius timens, ne in Paschate arceatur ab altari, Parocho minatur mortem, si illi Communionem negabit. Q. An Parochus illi possit licite Eucharistiam administrare.*

Respondeo affirmative. Sanchez l. 4. de matrim. dis. 4. n. 12. Ant. a Spiritu sancto t. 4. consult. 19. Suarez Bonacina. Gobat, Sporer par. 1. cap. 3. sect. 5. Ratio est, quia actio dandi Communionem ex parte Ministri est bona, & potest exerceri absque peccato, etiamsi recipiens

eadem

eadem male utatur: nemo enim tenetur cum dispendio vitæ desistere ab actione bona, qua recipiens, si vellet, posset bene uti. Ita laudati Auctores. Attamen respondet Divus Joannes Chrysostomus, qui Homilia 83. in Matthæum sic ait: = Non parva vobis imminet pœna, si quē aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis. Sanguis enim ejus ex manibus requiretur vestris. Sed si quidem aliquis præ vecordia, & amentia mensam adiverit, nullo timore territus abjice. Deum, non hominem timeas. Animam prius tradam meā, quam Dominicum alicui Corpus indigne, Sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illum Sanguinē præterquam digno concedam. Non de ignotis, sed de notis hæc disputo. Ita sanctus Doctor.

CAS. III. *Concessa per Summum Pontificem Civitati Bononiæ Indulgentia, extensibili quoque ad Diœcesim, ruralis Parochus, non expectatis Circularibus de more a Curia per Vicarium Foraneum transmittendis, Indulgentiam populo publicavit, cum noverit in Civitate publicatam. Q. An licita, & valida fuerit hujusmodi publicatio.*

Respondeo probabilius fuisse validam,

certo tamen illicitam. Ratio primæ partis est, quia si in Edicto pro Civitate publicato leguntur hæc, vel æquivalentia verba = statim ac notitia pervenerit ad Parochos Diœcesis = publicatio dictæ Indulgentiæ in nullo substantiali defecit, non in designatione Ecclesiæ visitandæ, & operũ, ut supponitur, neque defecit in designatione temporis facta a legitima potestate, quia tempus a prædictis verbis, saltem sub in determinatione fuit designatum etiam pro Diœcesi: nisi velis dicere, prædictam clausulam esse intelligendam non de qualibet notitia, sed de notitia juxta morem Curiæ, hoc est Litteras Circulares; nam in hac hypothesi dubitari posset de valore publicationis, quia Parochus tempus designasset absque legitima facultate. Ratio secundæ partis est, quia Parochus egit contra rectum ordinem a Superioribus sancitum, ut nimirum Circulares expectentur, ad præcavendas confusiones, ac Parochorum queralas, populi susurrationes, quæ de facili oriuntur, nisi in publicatione Indulgentiarum opportuna temporis distributio per Diœcesim servetur.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Confessarius Mulieri confitenti, se habuisse cum Amasio tractatus inhonestos, dixit: Non fecisti, quod habebas*

bebas in animo? sed, si quis tibi summam donaret pecuniæ, quid faceres? Q. An Confessarius sit denunciandus.

Respondeo cum distinctione. Vel Mulier respondit affirmative, vel negative: Si respondit affirmative, & Confessarius tacuit, nec eam reprehendit, est reus sollicitationis, & denuntiandus, ut liquet: si eã reprehendit, tunc solutio pendet ad exitũ Si enim postea accessit ad ejus domũ, & pecuniam obtulit pro re turpi, reus est sollicitationis, quia talis accessus probat, eam interrogationem fuisse Mulieri factam ad turpem finẽ, atque eo tunc sollicitatio incepit. Si respondit negative, & sic fuit absoluta. Bordonus in tribunali fidei cap. 23. num. 131. docet non esse denunciandum, quia talis interrogatio potest accipi in bonum sensum; potest enim dici facta in ordine ad dignoscendam dispositionem Pœnitentis, an scilicet sit digna Absolutione; si namque Mulier affirmasset, eam non absolvisset. Verum Bord. cit. non potest hunc Confessarium a nota maxime imprudentiæ eximere.

CAS. II. *Titius ab hostibus insequentibus fugiens, obvium, quem habet, Equum ascendit, ut velocius fugiat. Equus in ista præcipiti fuga moritur. Q. An Titius teneatur ad compensationem.*

Respondeo, probabilius Titium teneri

ad restitutionem æstimationis Equi. Ratio est, quia Dominus Equi in hac hypothesi non supponitur consentire, nisi sub onere compensationis, si Equus ipse perierit; non enim intelligitur absolute transferre dominium ejusdem Equi in utentem, sed dumtaxat commodare in necessitate, qua premitur; ergo & ipse utens intelligitur accepisse in necessitâte sub tali onere; ergo, pereunte Equo, tenetur Titius ad compensationem. Neque dicas, Titium non teneri ad talem restitutionem, neque ratione rei acceptæ, cum amplius eadem non extet, neque ratione injustæ acceptionis, cum in extrema illa necessitate, licitum fuerit eidem accipere. Respondeo, teneri propter quamdam tacitam obligationem jure gentium introductam, qua qui rem alterius in necessitate consumit, se tacite obligat ad rependendum, quando suppetet copia. Excipe tamen, nisi Equus etiam sine tali usu esset periturus; nam tunc Titius usu nullum damnum Domino attulisset. Lessius l. 2. de just. & jur. c. 16. dub. 1. n. 10. Rosign. de rest. disquis. 1. §. 2.

CAS. III. *Capellanus redargutus a suo Parocho, quod Arsenium ab Excommunicatione publice contracta absolverit, respondit: Illum absolvi, & juste potui absolvere. Q. An violaverit sigillum.* Resp:

Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia manifeſtavit peccatum in Confeſſione cognitum: & ſicuti, ut de communi teſtatur Tannerus t. 4. diſp. 6. q. 9. reus eſt violati ſigilli, qui dicit=Abſolvi peccatorem publicum, qui mihi confeſſus eſt peccatũ ſuum=cur non eſt reus, qui dicit=Abſolvi ab Excommunicatione publice excommunicatum?=Neque dicas, Capellanum ſolum detexiſſe actum Confeſſionis, qui laudabilis eſt, non vero Excommunicationem jam publicam. Reſpondeo; licet talis detectio non fuerit odioſa Pœnitenti, fuit tamen contra virtutem Religionis, quæ nullo modo patitur detegi peccata in Confeſſione cognita. Sotus in 4. diſ. 18. q. 4. art. 5. Vaſquez, Diana, aliique.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *Franciſcus, conſtitutus in periculo Mortis, a ſimplici Sacerdote abſolutus fuit tum a reſervatis, tum a cenſuris, & poſtea convaluit. Q. An teneatur ſe præſentare Superiori, ut denuo abſolvatur.*

Reſpondeo primo, Franciſcum ut abſolutum a reſervatis non teneri ſe præſentare Superiori, etenim ab illis fuit directe abſolutus; nam, ut inquit Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.

Reſpondeo

Reſpondeo ſecundo, Franciſcum abſolutum a cenſuris debere ſe præſentare Superiori, ſanitate obtenta, ſub pœna reincidentiæ in eamdem cenſuram, ut habetur ex cap. *eos qui* de ſent. excom. in 6. & cap. *ea noſcitur* de eadem. Quare Confeſſarius Franciſco, ante Abſolutionem, debuit imponere hoc onus, itemque ſatisfaciendi parti læſæ, ſi Excommunicatione erat innodatus propter injuriam alteri illatam, V. G. ob Clerici percuſſionem: & quamvis nonnulli Auctores doceant, exigendum eſſe juramentum de hac ſatisfactione præſtanda; tamen alii plures docent, id ſolum neceſſarium eſſe pro foro externo, quando res deducta fuit ad forū contentioſum; pro foro vero interno ſufficere promiſſionem, imo & firmum propoſitum ſatisfaciendi, eo quia Pœnitenti etiam non jurato, vel caucionato creditur in foro Sacramentali. Lezana, Tamburinus, Gobat &c.

CAS. II. *Titius quamdam domum, quam locaverat Cajo, tempore locationis vendidit Petro, nulla in Contractu venditionis de penſionibus mentione facta. Q. Ad quem ex duobus penſiones illæ pertineant.*

Reſpondeo: Perſoluto per emptorem pretio convento, eique domo aſſignata, penſiones dividendæ ſunt juxta proportio-

nem

nem temporis, pro quo fuit ſub utriusq; dominio. Ratio eſt, quia penſiones ſubſtituuntur loco fructuum, eisque correſpondent; ſed fructus cedunt Domino rei, cujus cenſentur fructus, ergo & penſiones: ſed ante perfectam venditionem venditor eſt dominus rei venditæ, & poſt illam fit dominus emptor; ergo pro tempore ante perfectam venditionem penſiones debent pertinere ad venditorem; poſt illã ad emptorem. Similiter reſp. etiamſi pretium non ſit ſolutum, nec cautio præſtita, aut fides data. Ratio eſt, quia, abſoluto Contractu venditionis, res pertinet ad emptorem; ergo penſio a puncto, quo rei dominium acquiret, ad ipſum ſpectat ad ratam temporis dominii acquiſiti. Excipe tamen, niſi aliter inter partes ſit conventum. Roſignol. de contr. diſ. 5. §. 6. Girib. tr. 3. c. 2. dub. 14. Palao, aliique.

CAS. III. *Quidam Parochus Coſtam obtinuit a Romano Pontifice alicujus ſancti Confeſſoris Pontificis, quam judicans eſſe inſignem Reliquiam, illius Officium in propria Eccleſia elevat ad Ritum duplicem. Q. An talis Coſta ſit inſignis Reliquia ad enunciatum effectum.*

Reſpondeo negative: Sacra enim Rituum Cong. poſt editum generale Decretum ſub die 3. Junii 1617. quo permitte-

batur

batur Officium duplex in iis Ecclesiis, in quibus insignis Reliquia asservatur, successive, ad occurrendum libertati opinandi circa indicatam magnitudinem partis corporeæ, sub anno 1628. 8. Apr. præmissa uberius declarando, taxative præscripsit ad præfatum effectum talia esse censenda, Caput, Brachium, & Crus, & quidem ad hæc decernenda processit, non postulatis respondendo in Casibus particularibus (ut sæpe contingit) sed per Decretum generale in Breviario Romano ad instar Rubricæ imprimendum, quo satis in aperto ponitur, Costam omnino exclusam a numero insignium Reliquiarum.

ANNO MDCCXLVIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *Confessarius tempore Jubilæi imposuit Pœnitenti, ut recitaret quinque Pater & Ave pro satisfactione Sacramentali. Hic, ut citius se expediret, recitavit hujusmodi preces alternatim cum Socio in Ecclesia designata, animo tum lucrandi Jubilæum, cum implendi Pœnitentiam. Q. An utrique oneri satisfecerit.*

Respondeo negative. Si Confessarius, vel Pontifex aliud non expresserat, nec aliud apparebat ex circumstantiis; uti apparet circa jejunia, cum publicatur Jubilæum in Quadragesima. Fert enim cōmunis

munis opinio, quod quando Confessarius aliud non expressit, nec circumstantiæ de ipsius mente aliter indicant, tunc satisfactio ab eo injuncta intelligi debeat de opere supererogationis, ut passim monent DD. idemque in simili casu dicendum esse de Oratione, & aliis operibus a S. Pontifice pro Jubilæo præscriptis: svadet ipsamet lex prudentiæ œconomiæ Ecclesiasticæ dictans, fidelem Ecclesiæ Ministrum, qualis sane censendus est Pontifex, nolle extra casum valde urgentis motivi, ac specialissimæ circumstantiæ, pretiosum Ecclesiæ thesaurū profundere pro operibus jam debitis; id namque esset illum profundere pro nulla, vel minima causa, quod juxta Bellarminum, & alios sapit prodigalitatem. Id etiam svadet modus, quo idem Pontifex talia opera præscribit, nam (ultra quā quod ea imponit, non ut opera pia præcise, sed ut onera implenda quasi ex pacto, quod plane denotat gravamen diversum ab omni alio præcedente) simul & semel districte præcepit Confessariis, ut pro quibusvis peccatis Pænitentibus imponant salutares pœnitentias, ut communiter innuunt Bullæ Jubilæi recentiorum Pontificum. Ad quid me hercle duplex hæc distincta præscriptio, si juxta mentem Pontificis opera

Jubilæi

Jubilæi non deberent esse diversa quoad substantiam a satisfactione postea imposita pro peccatis? Addo, posse quidem persolvi alternatim cum Socio orationem Jubilæi, ut docet Rossius de Jub. sect. 4. cap. 17. & constat ex praxi; non sic tamen satisfactionē, quidquid in contrariū dicant Azorius Inst. part. 1. lib. 10. c. 7. q. 10: aliique. Approbatā enim legimus, imo pro Choro præceptā alternā Officii recitationē, commendatā alternā recitationem Rosarii, vel &c; permissū tamen nullibi legimus alternum satisfaciendi modum: & si praxim, consvetudinemque consulimus, hæc communiter est, quod suā a semetipso quisque adimpleat satisfactionem, ni ob urgens motivum Confessarius aliud expresserit. Cū igitur consvetudo habeat vim legis, dicendum etiam ob hoc, Pœnitentem adæquate utriqve oneri non satisfecisse, sed (cum agatur de re dividua) solum inadæquate, & pro rata: ut cum Sancio inquit Pharaonius de Pænitent. sess. 22. cap. 4.

CAS. II. *Sacerdos paulo ante confessus, dum est ad Altare, recordatur peccati mortalis ex inculpabili oblivione non expressi, nec sine gravi periculo tunc exprimibilis. Q. An sit necesse, ut ibi de eo eliciat actum contritionis.*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel talis Sacerdos in Confeſſione paulo ante peracta habuit dolorem uverſalẽ de omnibus peccatis a ſe commiſſis, vel habuit dolorem particularem, ac reſtrictum ad ea, quæ faſſus eſt, Si primum, dico, neceſſe non eſſe, ut ibi eliciat actum contritionis de peccato oblito, cum enim per illum dolorem univerſalem retractaverit omnia peccata, abſolutio immediate cadens ſupra dolorem, cauſavit grati directe remiſſivã eorum, quæ expreſſa fuere, & remiſſivã indirecte peccati obliti, ob incompoſſibilitatem gratiæ ſanctificantis cum quocumque mortali peccato. Propterea Tridentinum ait, tale peccatum eadem Confeſſione intelligi incluſum. Si ſecundum dico; attendendum eſſe an Sacerdos adeo reſtinxerit dolorem ad peccata expreſſa, ut ab eo excluſerit alia, quæ putabat ſe non habere. Item, an hujuſmodi dolor fuerit ab eo conceptus ex motivo ſpecialis turpitudinis resultantis ab oppoſitione ad peculiares virtutes, quibus peccata confeſſa opponuntur; an vero fuerit ab eo conceptus ex motivo univerſali, puta, ob ſummam Divinam bonitatem offenſã, aut ob metũ gehennæ Siquidẽ in primis duobus caſibus utiq; neceſſe eſt ibi elicere actũ contritionis, ut ſe conſtituat in ſtatum gratiæ: nam tunc, interveni-

ente

ente reminiſcentia peccati obliti, hoc viget in anima, cum nullo modo fuerit retractatum. In tertio vero caſu neceſſe non eſt, ut ibi de eo eliciat actum contritionis; cum enim hujuſmodi dolor, ratione motivi univerſalis, virtualiter ſe extenderit etiã ad peccatum oblitũ (nam qui deteſtatur ex: gr. furtum, quia eſt offenſa Dei, vel ex metu gehennæ, implicite & virtualiter deteſtatur etiam fornicationẽ, ac cætera peccata, quæ pariter ſunt offenſæ Dei, & merentur gehennã) etiam iſtud implicite, & virtualiter fuit retractatum, ac proinde indirecte abſolutũ atque remiſſum, Ita DD. comuniter.

CAS. III. *Subdiaconus petit a Parocho, an teneatur recitare divinum Officium iis diebus, quibus febri quartana laborat. Attenditur reſponſio Parochi*

Reſponſio data a Parocho hæc eſt: Vel hujuſmodi febris intra diem ipſi relinquit tantum temporis, ac virium, ut ſine gravi incommodo poſſit totum divinum Officium, vel ſaltem aliquã ejus partem perſolvere; vel non. Si primum, tenetur Subdiaconus illa die vel totum, vel partem Officii, juxta tempus ac vires, recitare; nã quoad hoc in tali caſu urget præceptum. Propterea S. Carolus in ſuo Conc. Mediol IV. ann. 1576.

Meminerit,

Meminerit, inquit, *qui Officio adstrictus est, se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter aliquando laborantem; non justam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve.* Et quod dicitur de toto, valet etiam de parte Officii; damnata enim est ab Innocentio XI. hæc propositio 24, in num. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Si secundum, non tenetur, quia impotentia ipsum excusat. Hinc communius DD. tradunt, quod si Subdiaconus ex. gr. mane sit liber a febri, ac sentiat se habere vires sufficientes pro recitatione totius Officii, debeat mane recitare etiam Vesperas, & Completorium, si prævideat febrim postmodnm a tali recitatione ipsum impedituram; eo quia præceptum divini Officii quoad substantiam obligat intra latitudinen totius diei, & anticipatio vel posticipatio in casu non est usus Privilegii, sed obligatio: qui enim stricte obligatur ad aliquod munus obeundum, eo fungi debet, cum potest. Unde obligatio accidentalis, recitandi hanc, vel illam Horam tali, aut tali hora temporis, cedit in casu obligationi substantiali.

In

In dubio postea, an prædicta recitatio totalis; vel partialis, absque gravi nocumento, aut periculo ejusdem, peragi possit, consulat virum prudentem, qui, si perplexum relinquat, deponat omne dubiū, & recitationem omittat.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *NOn advenientibus Patrino, & Matrina designatis, Parochus ad levandum Infantem de sacro Fonte pro eis adhibuit Obstetricem cum impubere, solo ex viris ibi præsente. Q. An bene se gesserit.*

Respondeo Parochū id facientē male se gessisse; nam si circa baptismum talis Infantis erat periculum in mora, non debebat, inconsultis Parentibus ejusdem, designare alios Patrinos; sed Baptismum differre quousque vel adessent Patrini a Parentibus jam designati, vel alii eisdem loco ipsorum substituti vel etiam ab ipso, ad id tamen prius ab illis obtenta facultate. Præcepit enim Tridentina Synodus sess. 24. de refor. Matr. c. 2. ut Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ex eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro Fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat sub pœna arbitrio Ordinarii. Hinc Beja apud

La

La Croix de Bapt. n. 362. inquit mortaliter peccare Parochum, qui, diu tardantibus Patrinis a Parentibus designatis, factus impatiens aliũ designat in Patrinũ, quia facit contra jus Parentum, obtrudendo alium forte non aptum, vel cum quo nollent habere cognationem, quæ juxta Tamburinum, Tridentino innixum, in casu videtur cum hoc ab eis contrahi, eo quia sufficit designatio Parentum, vel Parochi. Deinde etiã dato, quod fuisset periculum in mora, nullo modo adhibere debebat impuberem ad tenendum infantem; licet enim jure communi ætas necessaria ad Patrini munus obeundũ determinata non sit, & propterea Gobat tom. 1. tr. 2. n. 555. dicat cum Barbosa, Patrinũ de jure communi esse posse juniorẽ suo Filiastro; imo puer septennis, dummodo rationis compos, & baptizatus, ac habens intentionem faciendi id, quod in simili casu faciunt alii Patrini, possit id præstare, contrahendo etiam cognationẽ spiritualem, juxta Sanchez, Basilium Pontium, & alios a Diana consentiente citatos part. 10. tr. 16. respons. 29. vers. —notandum est hic —; nihilominus quia in hac Synodo Bononiensi lib. 2. c, 2. inter eos, qui rejiciendi sunt ab Officio Patrini, recensentur etiam impuberes, solam

ſolam Obſtetricem potius adhibere debebat; nam, ut notum eſt, ex Tridentino, non requiruntur neceſſario unus & una, ſed ſufficit unus, vel una.

CAS. II. *Martinus ob rationabile motivum fuit diſpenſatus a Jejunio Quadrageſimali. Q. An ex vi talis diſpenſationis immunis ſit ab onere jejunandi etiam in vigilia S. Mathiæ, & quatuor Temporibus occurrentibuss in Quadrageſima.*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel hujuſmodi diſpenſatio fuit ſpecialis, & ob aliquod particulare motivum univerſaliter extenſa ad quamcumque diem, etiam ſpeciali non dignam, ut ſunt dies Veneris ac Sabathi, & tunc dico, Martinum durante eodem motivo, ex vi talis diſpenſationis immunem eſſe ab onere jejunandi etiam in Vigilia, & quatuor Temporibus prædictis. Vel fuit generalis, & conceſſa juxta ſolitum propter aliquod motivum ordinarium, ob quod ſcilicet ſolet quidem diſpenſari, excipiendo tamen dies ſpeciali nota dignos; & tunc dico, Martinum etiam durante motivo, ex vi talis diſpenſationis non eſſe immunem &c. Ratio utriuſque partis eſt, quia diſpenſatio, ex una parte vim recepit a voluntate diſpenſantis, ex alia, quæ ſpeciali nota digna ſunt, ni aliquo ſpeciali modo ex-

primatur

primatur, omissa esse censentur. cap. *quia periculosum* de sent. Excom. in 6. Porro in primo casu voluntas dispensantis ex ipsamet speciali ac universali dispensatione satis innotescit, præcipue si ad urgentiam particularem motivi expositi, ob quod eadem dispensatio concessa fuit, habeatur reflexio; statim namque inde percipitur dispensantem voluisse concedere dispensationem proportionatam exigentiæ petentis; quæ propterea si tanta sit, ut sit opus dispensatione etiam diebus speciali nota dignis, (quemadmodum, ultra relatos, sunt etiam dies Vigiliarum, & quatuor Temporum) pro his quoque concessa intelligatur, quamvis de iis facta non fuerit expressa mentio; siquidem illud habetur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si disponens fuisset de hoc interrogatus, ut ex pluribus juribus colligit Evetardus in Topica juris loco a simili. In secundo autem casu res ab opposito se habet: cum enim dispensatus non repræsentaverit motivum exigens dispensationẽ adeo specialem & amplam, verosimile non est, quod Superior cum gravamine propriæ Conscientiæ voluerit hanc illi concedere; sed tantum, quod illi concesserit dispensationem generalem, nempe quoad

illos dies, qui speciali nota digni non sint, adeoque quod exclusi intelligantur prædicti dies, quemadmodum intelliguntur exclusi dies Veneris, & Sabbathi, quamvis hujusmodi exclusio expressa non fuerit. In generali namque concessione non veniunt, quæ quis non esset verosimiliter concessurus, ut habet regula Juris in 6.

CAS. III. *Agricola non habens par Boum, neque pecuniam ad eos emendos, dicit Petronio: mutua mihi 30. aureos pro Bobus emendis, & fatebor, a te conduxisse Boves, tibique tradam, quantum dare solet pro labore, quem fert par Boum.* Q. *An sine usuræ id peragi possit.*

Respondeo negative: est enim Mutuum Bobus conductis coopertũ, ut sit manifestũ consideranti, Boves in tali pecunia viventes nunquam mori posse locanti; nec ullis expensis indigere. Hinc cessante omni periculo, & incommodo ex parte dantis 30. aureos, sine labe usuræ id peragi nequit. Dico, cessante omni periculo, & incommodo &c. Si enim mutuatarius ratione hujusce mutui damnum aliquod, vel lucrum cessans pateretur, cui non subesset, si non mutuaret Agricolæ dictam summam, in tali casu posset utique, ad se indemnem servandum, quid aliud exigere ultra 30. aureos mutuatos, conformiter tamen ad

regulas

regulas quoad Mutuum traditas a sanis Doctoribus.

MENSE MARTII.

CAS. I. *DUo Pauperes; unus ficte talis, alter vere talis, ambo tamen viribus, ac corpore validi, sed mirum in modum a labore abhorrentes magnam pecuniæ summam ex collectis eleemosynis confecerunt Q. An propter fictionem, & pigritiam teneantur illam restituere veris pauperibus, & impotentibus erogare.*

Respondeo, pauperem fictum teneri ad restitutionem; non sic pauperem verum. Ratio primæ partis est; quia in tali casu dantes eleemosynam decepti fuerunt circa objectum Misericordiæ, quod est miseria vera, non ficta; etenim misericordia ex D. Augustino, quem refert Angelicus 1. 2. q. 30. art. 1. est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, ratione cujus tribuitur eleemosyna indigenti, ut ejus miseria relevetur. Jam vero deceptio circa objectum aufert consensum, ac propterea impedit translationem dominii, ut patet exemplo Dotis relictæ pro Virgine, quæ si accipiatur a puella solum putative tali, eā restituere tenetur, ni a Majori Pœnitentiario cum ea fuerit dispensatum. Addo, eos fuisse deceptos etiam circa causam finalē; licet enim charitas, & amor Dei sit causa

 faciendi

faciendi eleemoſynam in communi, & ſic, ut dicam, ſit cauſa remota; tamen cauſa proxima, ob quam fit eleemoſyna huic in particulari, eſt ipſius miſeria, quam repræſentat, & cui propterea quis intendit ſubvenire, ut recte inquit Maſtrius diſp. 7. de Reſt. in com. q. 2 ar. 2. n. 42. Cum igitur error circa cauſam finalem, utpote auferens conſenſum, reddat actum inſubſiſtentem, ideo &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ille quantumvis piger, erat tamen vere pauper. Advertit tamen, & quidem recte Petrus Marchantius in Hor. Par. lib. 3. tr. 4. ſect. 13. in fine quod cum Apoſtolus dicat, *Si quis non vult operari, non manducet*, hujusmodi perſonæ pigræ non merentur excuſationem; homini namque dictum eſt; *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Et de Muliere laude digna; *Digiti ejus apprehenderunt fuſum . . . quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.*

CAS. II. *Pœnitens poſt diligens examen adhuc immemor numeri determinati peccatorum ejusdem ſpeciei, expreſſit in Confeſſione numerum magis veriſimilem, addita particula* in circa. *Nunc numeri determinati memor, petit, an teneatur iterum de omnibus confiteri exprimendo numerum determinatum. Q. Quid illi reſpondendum?*

Reſpondendum,

Reſpondendum, quod ſi numerus determinatus eſt minor numero veroſimili expreſſo, aut modico illum excedens, non eſt neceſſe quidquam aliud exponere in Confeſſione, quia numerus minor. jam in majori expreſſo erat incluſus, & modicus exceſſus fuit ſufficienter expoſitus per ly *in circa*, quod in prudenti judicio habet aliquam extenſionem. Si vero eſt major notabiliter, tenetur Pœnitens exprimere ea peccata, quæ hujusmodi exceſſum conſtituunt, ex. gr. quis commiſit 20. fornicationes, & confeſſus eſt, ſe commiſiſſe 12. *in circa*, in hoc caſu non eſt neceſſe, quod Pœnitens iterum dicat, ſe fornicatum fuiſſe vigeſies, ſed ſufficit, quod dicat, ſe in præterita Confeſſione omiſiſſe confiteri ex inculpabili oblivione quinque aut ſex fornicationes. Ratio eſt, quia ly 12. *in circa* jam extendebat numerum ad duas, vel tres alias, non tamen ad octo alias; propterea illæ quinque, aut ſex, quæ juxta prudens judicium in eo numero non includebantur, ideoque dicuntur conſtituere exceſſum reſpective notabilem, debent exponi in nova Confeſſione tanquam peccata oblita: ita Sporer, aliique. Neque dicas, peccatum ſemel expoſitum ut dubium debere iterum exponi ut certum, quando ut tale cognoſcitur; ſicque etiam

numerum

numerum expoſitum ut veroſimilem debere iterum exprimi ut talem determinate, quando ita cognoſcitur. Contra enim, transmiſſo antecedente, quod a pluribus negatur, ſignanter a Sporer, nego conſ. Diſparitas eſt, quia in primo caſu peccatum neque fuit expoſitum quoad ſuam rationem eſſentialem ſpecificam; ubi e contra per numerum proprie veroſimilem fuit expreſſus idem numerus determinatus, ſi non arithmetice, ſaltem moraliter, ut acute oſtendit Puteobonellus de Pœnit. q. 3, art. 5. n. 12.

CAS. III. *Confeſſarius ad extirpandam a Pœnitente conſvetudinem proferendi verba turpia, imponit ei, ut quoties impoſterum ſimilia proferret, lingva formet Crucem in terra.* Q. *An Pœnitens teneatur id acceptare.*

Reſpondeo affirmative, ſi Confeſſarius hanc judicat neceſſariam, eamque illi imponat ad aliquod tempus diſcretum, & exequendam in circumſtantiis, in quibus absque infamia Pœnitens id peragere valeat. Ratio eſt, quia Pœnitens tenetur parere Confeſſario nedum ut Judici, verum etiam ut Medico; alias ſuperflua in hoc eſſet poteſtas ligandi ad infirmitatis medicamentum, & Tridentinum ſuperflue præſcripſiſſet Confeſſariis, quod ſatisfa-

ctionem

ctionem imponant nedum in vindictam, & castigationem præteritorum criminum, sed etiam ut frænum retrahens a futuris. Et hic nota, primo, hanc non esse in casu irrationabilem,& indiscretam; cum ex una parte aliquando nullum aliud remedium, experientia teste, sit hoc efficacius; & ex alia hujusmodi consvetudinarii multoties præbeant scandalum, cui, quantum fieri potest, est obviandum; secundo velle se submittere judicio Dei quoad satisfactionem, esse simul velle diutius protrahere, quam par sit, partem integralem Sacramenti, maxime siquis intendat Deo satisfacere in Purgatorio. Deinde quis est certus, quod eo ibit? Tertio, obligationem eam faciendi esse quid determinatum, ut recte tradit Viva; si tamen ista obligatio determinata non censetur sufficiens, imponatur Pœnitenti etiam aliquid aliud.

MENSE APRILIS.

CAS. I. *LÆlius viri valde nobilis, ac divitis filius, illectus magna pulchritudine Cajæ filiæ Villici, spe Matrimonii eam defloravit, & ex animo cum ea inivit jurata Sponsalia de futuro. Nunc tamen prævidens maxima inconvenientia infallibiliter secutura, si cum ipsa Nuptias ineat, consulit Parochum, an, præmissis non obstantibus, possit tuta conscientia ab*

hisce

hisce nuptiis abstinere, quamvis Sponsa enixe instet pro illarum celebratione. Attenditur Parochi responsum.

Responsum Parochi est. Lælium in Casu nedum posse, verum etiam debere ab hisce Nuptiis abstinere. Ratio est, quia ex una parte hujusmodi inconvenientia juxta communẽ sententiã præbent motivum plusquam sufficiens dissolvendi Sponsalia etiam jurata; juramentum enim non obligat, quando sine aliquo peccato etiam levi impleri non potest; imo nec quando illius implementum est contra bonos mores etiam naturales, ut perspicue tradit Glossa in cap. *Si vero* de jurejur. vers. *Salutis æternæ.* Ex alia Stuprũ non habet vim inducendi diversi generis obligationem, sed ad summum auget illam, quæ vi justitiæ oritur ex sponsalibus Idcirco si imminens scandalum, si injuria, quæ parentibus, ac familiæ irrogaretur per hujusmodi Nuptias, si denique rationabilis timor inimicitiarum &c. prædictam justitiæ vim taliter enervant, ut quamvis juramentum vim non immodicâ alias superaddat Sponsalibus, hoc non obstante, tum eorumdem Sponsaliorum, cum juramenti in casu tota vis pereat, idem pariter dici debebit de illa vi, ei superaddita a Stupro; nunquam enim vir-

tus

tus justitiæ potest aliquem obligare ad implendum opus, quod sine peccato, & scandalo non est ipsi liberum adimplere; cum nullum peccatum, quantunvis leve, possit cadere sub præcepto, & imperceptibile sit, quod quis simul obligetur præstare id, quod aliunde vitare tenetur. Neque dicas, justitiam contractus exigere, ut cum jam puella ex parte sua conditionem impleverit se copulæ submittendo, sic Stuprator, quod sua interest, impleat ipsam ducendo: Dico enim cum Giribaldo, & aliis, justitiã nihil aliud exigere quam æqualitatem. Unde cum ratione nimiæ disparitatis inter hasce personas, non ponatur æqualitas nubendo, quia sic una pars, nempe familia viri nimis præjudicata maneret, ideo alia via debet deflorator satisfacere puellæ, & parentibus ejus, nempe, ei dando tantam dotem, quanta puellæ sufficiat ad æque bene nubendum pro sua conditione, perinde ac si deflorata non fuisset; siquidẽ excessus dotis, maxime inter villicos, de facili sanat istam plagam, & futuræ honestai, ac parentum factæ interim consuli potest per ingressum puellæ in aliquod Monasteriũ, seu Conservatorium, ut advertit Cardinalis de Luca de Dote disc. 142. n. 76. Et sane æquitas naturalis postulat, ut habeatur

beatur reſpectus etiam ad dedecus reſultans nobili integræ familiæ ex altera parte, præcipue cum plurimum interſit ipſimet Reipublicæ, ut nobilium familiarum decus integrum ſervetur. Hic non eſſe in caſu diſpenſandum a denuntiationibus inquit Pax Jordanus tom. 1. Eluc. Can. lib. 3. tit. 7. n. 51. imo Judex debet interdicere hujuſmodi Matrimoniū. Dicaſtillus de Sponſal. diſ. 10. n. 16. & patet ex cap. *Cum in tua de Sponſ.* ubi Gloſſa, & Panormitanus. Neque ſic impeditur, ſed potius perficitur libertas Matrimonii; cum filius non habeat jus ad Nuptias Patri, ac familiæ injurioſas. Dicaſtillus ibid. diſp. 4. dub. 18; n. 179. Quod ſi opponas Eccleſiæ praxim, quæ in proſequendis cauſis Sponſaliorum, maxime juratorum, nihil ducere conſvevit ſive Parentum diſſenſum, ſive Familiariū diſparitatem. Nihil profecto veritati adverſum dici poteſt, inquit Muſcetola in eruditiſſima ſua Diſſertatione ſuper hanc materiam, ſiquidem praxis Eccleſiæ non ab arbitrario alicujus dicto, vel facto, ſed a Summorum Pontificum reſponſis, a Sacris Canonibus Conciliorum, ſive Generalium, ſive Parochialium, tandem ab Epiſcopis ipſis in Synodalibus Conſtitutionibus addiſcenda eſt. Hæc autem pro

nostra stare sententia ipse fusissime ostendit, sufficiat pro nunc Tridentini testimonium sess. 24. de ref. Matr. cap. 1. dicentis, quod S. Dei Ecclesia ex justissimis causis Matrimonia isti similia semper detestata est, atque prohibuit.

CAS. II. *Petronius pluribus debitis magnæ considerationis gravatus, relictus fuit ab uxore defuncta dominus pinguis dotis, sicque potens commode suis Creditoribus satisfacere, si in statu viduali perseveret, secus vero si transeat ad secunda vota. Q. An in hoc casu possit licite iterum contrahere Matrimonium.*

Respondeo cum distinctione: Vel Petronius iterum non contrahendo incurrit grave periculum incontinentiæ; vel non. Si non; dico ipsum non posse licite iterũ contrahere, quia sic esset negligere medium aptum ad satisfaciendum Creditoribus, cum iis facile possit satisfacere; Si incurrit; dico, ipsum posse licite iterum contrahere, licet enim quis teneatur ponere media conducentia ad finem, quando hæc sine gravi incommodo poni possunt; non sic tamen quando hæc poni nequeunt sine gravi periculo salutis æternæ, Neque dicas, obligationẽ solvendi debita esse juris naturalis; ut enim bene respondet La Croix de Restit. num.

442.

442. non eſt juris naturalis abſoluti, ſed conditionati, ſi nempe ea ſolvi poſſint ſine damno graviori, maxime in bonis altioris ordinis: Ita omnes DD.

CAS. III. *Colonus fodiendo terram in prædio ſui Domini, invenit ſubtus quamdã antiquam maceriem quamplures monetas aureas maximi valoris. Q. An poſſit abſque peccato ſibi totam ſummam retinere.*

Reſpondeo, in hypotheſi, qua non conſtet, ad quem ſpectant tales monetæ, ſic eſſe diſtinguendum. Vel Colonus eas invenit caſualiter, vel ex naturali induſtria. Si primum; dico, ipſum non poſſe licite ſibi retinere totam ſummam: quamvis enim jure Gentium tales monetæ ſint omnes primi inventoris; tamen jure Civili, quoad hoc pro iſto caſu attemperante jus Gentium, medietas earumdem debetur Domino Fundi: cumque iſta lex non ſit pœnalis, ſed diſpoſitiva, & communi praxi ac conſuetudine recepta: obligat in conſcientia etiam non interveniente judicis ſententia. Si ſecundum; dico ulterius, attendi debere, an Colonus eas quæſierit cum legitimo conſenſu, an vero ſine legitimo conſenſu Domini illius Fundi, aut cum conſenſu per fraudem & dolum extorto, puta, cum prætextu inde eruendi aliquantulum arenæ, vel lapidum,

& sic occultando inquisitionem monetarum, si eas quæsivit cum legitimo consensu, potest colonus eas omnes sibi licite retinere, dato quod appositum non fuerit aliquod pactum in contrarium, indubie observandum; cum enim lex Civilis pro isto casu Domini consentientis nihil statuerit, pro eo adhuc viget jus Gentium, rem inventam totam adjudicans primo inventori: Si autem illas quæsivit sine consensu, aut cum consensu, per fraudem, & dolum extorto; dico, non quidem ante sententiam Judicis, agatur de lege pœnali, & quæ non privat inventorem ipso facto, sed post Judicis sententiam, Colonum teneri omnes monetas inventas tradere Domino fundi, sic enim jura sanxerunt in pœnam mittentis manum in Fundum alienum sine consensu Domini, qui etiam in casu fraudis, & doli non præsumitur intervenire, & propterea sic adest, perinde ac si non adesset, Ita DD. communiter, hoc addentes, quod si per Magiam fuissent inventœ, totum id, quod alioquin cessisset inventori, Fisco cedit. Vive Continuatorem Oper. Tournely de Jur. cap. 3. ant. 4. sect. 2. punct. 2.

MENSE MAII.

CAS. I. *PArochus alienata sine licentia Cuppa Calicis spectantis ad*

Ecclesiam, ex nummis inde susceptis comparavit munuscula quædam, quibus paulatim ad Stuprum induxit Puellam suam Parochianam. Q. Quot peccata commiserit; & an incurrerit Censuram latam a Paulo II. in extravagan. Ambitiosæ.

Respondeo, quoad primam partem, plura hunc Parochum commisisse peccata: si enim Cuppa Calicis erat adhuc apta Sacrificio, & hoc non obstante, eam vendidit ut suam, sine animo reficiendi Ecclesiæ damnum, peccavit peccato furti sacrilegii, peccato infidelitatis in custodiendis rebus Ecclesiæ suæ curæ commissis, & peccato inobedientiæ per aliquos jure divino, per alios humano: de rebus Ecclesiæ non alienandis. Item commisit tot peccata mentalis stupri sacrilegi, quot habuit deliberata desideria deflorandi puellam moraliter distincta, quibus singulis addenda est malitia incestus, si cugnationem spiritualem, aut carnalem cũ illa habebat. Commisit etiam tot peccata scandali, quot interpolatis vicibus eamdem ad malum inducere tentavit; non enim requiritur ad peccatum scandali activi, quod actu sequatur personæ tentatæ ruina, sed sufficit mala actio externa inducentis, ut inter alios cum Navarro recte tradit Alphonsus de Leone. Si his omnibus addas stuprum reale sacrilegum,

ſacrilegum, aut, ſi vis ſacrilegam realem fornicationem; nec non innumeros præcedentes turpes aſpectus, & forte etiam tactus conſimiles, præſcindendo nunc a conſtituentibus quid unum cum copula, facile percipies, quod peccata commiſerit indignus Parochus.

Quoad ſecundam partem, me non latet Decretum S. Congreg: Concilii, extendens parvitatem materiæ uſque ad 25. aureos, ſcutis 40. monetæ Romanæ æquivalentes. Quoniam vero eadem S. Congreg. teſte Fagnagno in lib. 3. Decretal. de reb. Eccl. non alien. etiam dixit, tutũ non eſſe definire in hac materia, quænam res ſint exiguæ, ſicque ad quos limites materiæ parvitas reducatur; ideo ſaniores Theologi, & Canoniſtæ dicunt, hanc eſſe determinandam habito reſpectu ad majores, vel minores talis Eccleſiæ facultates, ad circumſtantias loci, ac temporis, & ad conſvetudinem. Propterea ſi valor Cuppæ alienatæ a Parocho, habito reſpectu ad hæc omnia, judicio viri prudentis adhuc cenſeatur exiguus, ille erit a dicta excommunicatione immunis; ſecus vero ſi ſecus, ni forte alienationis tempore ignorantia non affectata hujuſmodi cenſuram ignoraſſet, aut ad illam non advertiſſet, quo caſu adhuc eſſet ab

illa immunis; ſicuti juxta Filliucium in ſimili caſu immunis etiam eſſet ab illa Tridentini, quæ eſt Summo Pontifici reſervata.

CAS. II. *Puella quædam domi a Clerico ſollicitata ad turpia, huic inflixit alapam. Q. An ob id ſit excommunicata.*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel hujusmodi ſollicitatio tota conſiſtebat in verbis; vel admixtum habebat aliquod factum. Si primum, & Puella poterat etiã ſolis verbis ſollicitantis temeritatem retundere, ac quodlibet ulterjus attentatũ cohibere, dico, eam eſſe excommunicatã, ni forte, Caſtitatis, ac proprii honoris amore percita, in incontinenti, & quaſi non advertens ita exceſſerit. Ratio eſt, quia in tali caſu prætergreſſa notabiliter eſt fines moderatæ defenſionis, ob quam ſolam ſacri Canones permittunt Clerici percuſſionem, ut patet ex cap. *Significaſti* de homic. & tradunt Innocentius in cap. *Olim.* T. in fine de reſtit. Spol. Hoſtienſis, aliique communiter. Si ſecundum ſubdiſtinguo: Vel Puella poterat alia via ſe ab eo liberare, puta, per fugam, aut clamando, vel non. Si non, certe non eſt excommunicata, neque peccavit ei alapã infligendo, quia tunc vere fuit juſta, & moderata defenſio, permiſſa in cap. Si

vero

Si vero 1. & cap. *ex tenore*. Si autem alia via poterat se ab eo liberare, dico, eam non esse immunem ab Excommunicatione, dato quod Clerico inflixerit alapam ex proposito; tunc enim tenebatur aliã viam amplecti ex. gr. fugiendo, aut clamando, ut constat ex superius adducta ratione. Vide Sayrum de Censur. lib. 3. cap. 27.

CAS. III. *Fure fugiente cum re ablata, quis consulit Domino, ut, ad recuperandam rem suam, Furem insequatur; evenit autem, ut ille hujusmodi consilium exequens occidatur a Fure. Q. An Consulens propterea evadat irregularis, ac teneatur resarcire damna ex tali morte secuta.*

Respondeo cum distinctione: vel Consulens, dando tale consilium, non advertit ad periculum occisionis Domini; vel ad illud advertit, sed noluit de eo Dominum monere. Si primum; dico, Consulentem, secuta occisione, neque evadere irregularem, neque teneri ad refectionem damnorum. Ratio est, quia ubi nulla intervenit culpa, nec irregularitas, de qua agitur, nec ulla obligatio resarciendi damna potest intervenire, cum utraque delictum supponat, quod in casu non est in Consulente; hic enim ex una parte aliud non intendit, quam suggerere Domino modũ recuperandi rem suam, si ille id censebat

expediens; ex alia nihil aliud, quam bonũ intendebat. Si ſecundum; dico, Conſulentem evadere irregularem, non tamen teneri ad refectionem damnorum. Ratio primæ partis eſt, quia, præviſo periculo occiſionis Domini, vel huic conſulere non debebat inſecutionem furis, vel ſaltem ſimul etiam hunc monere debebat, ut furem inſequendo adhiberet debitam cautelam: alias ipſum exponebat periculo ibi etiam amittendi vitam, ubi res ſuas recuperare tentabat; notum enim eſt, fures non ſolere incedere ſine armis, & quamvis ut plurimum timidi ſint, nihilominus aliquando inſoleſcunt, & feriunt. Hinc, cum ob talem omiſſionem Conſulens revera fuerit in culpa, ſecuta Domini occiſione, utiq; cenſendus eſt irregularis; licet enim ſine gravi culpa regulariter non contrahatur irregularitas ex homicidio caſuali, tamen quæcunque negligentia, ex qua ſequitur vitæ jactura, mortalis evadit, ut cum Avila, & Gibalino notat Continuator Operum Tournely, de Irregul. par. 3. cap. 1. cu consonant Hoſtienſis, Joannes Andreas, aliique celebres Canonici Juris interpretes in cap. *Significaſti* 1. Ext. de hom dicentes ſufficere culpam leviſſimam; cun in his caſibus non detur culpa levis, niſ ratione ſubreptionis, & inadvertentiæ

Ratio

Ratio secundæ partis est, quia, ut cum Lessio, Sayro, & aliis inquit Bonacina de rest. in gen. disp. 1. quæst. 2. punct. 7. n. 16. Consulens non coegit Dominum insequi furem, sed liberum hoc illi reliquit; propterea cum nullam contra Dominum commiserit injustitiam, non adest motivum sufficiens ipsum obligandi ad refectionem damnorum, ut tradit etiam Rosignolus de rest. 1. disp. 11. §. 39.

MENSE JUNII.

CAS. I. *Sergius approbatus ad sex menses pro excipiendis Confessionibus Sacramentalibus, non advertens lapsum esse tale tempus, absolvit Pœnitentem a peccato inculpabiliter oblito in Confessione ipsi facta intra Semestre approbationis.* Q. *An hujusmodi absolutio sit valida.*

Respondeo affirmative, quia interveniente errore communi saltem una simul cũ titulo colorato, Ecclesia supplet, seu conservat jurisdictionem in Confessario ob bonum commune, publicam quietem, & ad evitanda inconvenientia, & scandala, quæ secus evenirent, ut habetur ex l. *Barbarius* ff. de Offic. Præt. & Can. *Infamis* 3. q. 7. Propterea cum in casu nostro intervenerit error communis, quia omnes credebant, Sergium habere potestatem Jurisdictionis cum approbatione ad absol-

vendum, & cum etiam adfuerit titulus coloratus, nempe licentia audiendi Confessiones, cum ignorantia, quod esset jam terminata; ideo dicendum, quod valida sit illa absolutio. Ita Innocentius in cap. *Dudum* de Elect. & ibid. Panormitanus. Item Bossius, Giribaldus, omissis aliis, Cardenas, qui dissert. 2. cap. 6. num. 149. testatur se non invenisse Authorem, qui contradicat huic opinioni, quæ propterea certa communiter reputatur.

CAS. II. *Capellanus monitus ab amico quamprimum minuendum fore a Principe valorem monetarum, mutuat Cajo certam quantitatem Duplarum cum pacto, ut solutionis tempore reddantur juxta valorem, quo traduntur. Q. An licite.*

Respondeo affirmative cum Bonacina de Contr. dis. 3. q. 2. punct. 5. num. 14. Lessio, aliis, dummodo seclusa fuerint mendacia, ac dolus, a quibus Capellanum abhorrere credendum est. Ratio est, quia in primis tempore mutui Duplæ illæ revera tanti valent, ac pro tanto idem etiam mutuatarius potest illas expendere, aut impendere, ni diu differat. Deinde illa notitia particularis, quam habet Capellanus, non reddit illum deterioris conditionis, nec aufert communem æstimationem illarum Duplarum, in qua fundatur

justus

justus valor, ac pretium earumdem. Propterea si Capellanus mutuat eas cum pacto prædicto, utitur jure suo, non minus ac ille, qui vendit merces pretio currenti, non obstante particulari notitia, quam habet proxime futuræ diminutionis pretii earumdem ob ingentem ipsarum copiā, quæ proxime adveniet. Addo, mutuatarium posse in mutuum recipere hujusmodi Duplas cum pacto easdem reddendi in eodem valore, quamvis probabiliter credat, brevi augendum esse valorem earumdem, ut cum Cardinali de Lugo tradit Clericatus decis. 29. n. 24. Quare ergo idem dicendum non erit in casu nostro de mutuante?

CAS. III. *Juvenis oculis, ac manibus lasciviens, pluries turpiter tetigit mulierculam, aliamque sæpius turpiter aspexit, semper tamen sistendo in sola voluptate tactus, & aspectus, nec unquam in desideria prolabendo. Q. An teneantur exprimere in Confessione qualitatem personæ sive tactæ, sive aspectæ.*

Respondeo, Doctores communius affirmare, eo, quia non solum tactus, verum etiam aspectus, quando sunt turpes, id est, facti cum delectatione venerea, ex natura sua ordinantur ad copulam, adeoque participant malitiam finis; qui propterea si-

cut

cut exigit expressionem qualitatis personæ, cum qua quis coivit. Ita &c. Verum quoad aspectus sic distingvo: Vel Juvenis turpiter aspiciens mulierculam, stetit in illo aspectu delectabili mulieris quatenus pulchræ, nulla ulterius facta reflexione ad illius qualitatem; & tunc dico, necesse non esse, ut exprimat in Confessione illius qualitatem: vel stetit in illo aspectu delectabili mulieris ut formaliter pulchræ, conjugatæ, aut virginis, aut &c. & tunc dico, exprimendam esse qualitatem personæ nedum tactæ, verum etiam aspectæ. Ratio est, quia objectū non specificat actū utcunque, sed prout idē objectū est in apprehensione; sic enim est bonū, vel malū moraliter, & constituit actū in tali specie bona, vel mala. Hinc quia ut plurimū turpiter aspiciens mulierē, sistit in venereo aspectu illius ut pulchræ, multoties neque reflectendo ad illius qualitatem, an nempe sit conjugata, vel virgo &c. ideo Puteobonellus de Pœnit. q. 3. art. 4. n. 9. cum Tamburino ait, aspectum, non vero tactū, abstrahere à circumstantia personæ, quæ aspicitur, ideoque illam non esse necessario in Confessione exprimendam. Quoad tactus postea, cum sint actiones per actum externum proxime exercitæ circa objectū ipsum, puto, exprimendam esse objecti qualitatem.

MENSE

MENSE JULII.

CAS. I. *Famula sui Heri Concubina tales inter angustias reperitur, ut si a Concubinario declinet, infamiæ notam incurrat, cum periculo etiam aut meretricandi, aut in extremam necessitatem incidendi; si vero in ejus domo permaneat, & illi voluptuose inservire recuset, rationabiliter mortem, vel saltem vulnera timeat. His in angustiis consulit Confessarium, quid sibi agendum. Attenditur consilium Confessarii.*

Consilium Confessarii hoc est, quod ipsa eadem die discedat ab illa domo, humiliter se Deo commendans, ac nihil metuens; cum enim Deus sit adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, providebit illius famæ, & indigentiæ, si ipsa bene se geret, & non abhorrebit a labore. Nec Famula desistere potest ab hujusce consilii executione; nam ex una parte Anima præferenda est cæteris rebus l. *Sancimus* §. penult. C. de Sacros. Eccl. ex alia malum Concubinatus est præsens, in re, practicum, atque irreparabile in hoc casu (si non exeat ab illa domo) nisi cum vitæ dispendio. E contra malum infamiæ, aut extremæ paupertatis, est in solo periculo, & alia via reparabile, cum non desint tum humana, cum Divina suffragia iis, qui

corde ſincero Deum quærunt. Quod ſi, non obſtantibus hiſce ſvaſionibus, ipſa nolit ab ea domo divertere, adducens prætextum infamiæ, & paratam ſe oſtendens potius ad mortem ſubeundam, aut vulnera; non eſt abſolvenda, quia rationabiliter dubitari poteſt, ac debet, quod ficte promittat, cum ſic velit ſe denuo exponere evidenti periculo iterum ſuccumbendi peccato minis territa; nemo enim pro quacumque magna fama prudenter eliget mori, inquit Leſſius de Juſt. lib. 2. cap. 11. Deinde cum inhabitatio in eadem domo cum Concubinario ſit occaſio proxima removibilis, edocta ab experientia præterita, debet illam declinare; nec debet pluris æſtimare periculum infamiæ, quam periculum graviter offendendi Deum, & perdendi animam ſuam; Deus enim, & anima etiam famæ præferri debent.

CAS. II. *Parochus baptizavit infantem invito ejus Patre Judæo; conſentiente tamen Avo paterno Fideli. Q. An licite.*

Reſpondeo affirmative: cum enim Avus ſit ſtipes & caput omnium tam maſculorum, quam fœminarum, per lineam virilem deſcendentium, ut patet ex l. *Nepotes ff. de his*; & §. *Qui igitur* Inſtit. de Pat. Poteſt. illius conſenſus anteponendus eſt diſſenſui parentum, præcipue in materia

Religionis

Religionis, ut recte ait Tonellius Manud. Infid. ad fid. concl. 8. n. 2. nam quousque vivit Avus, Parens nequit habere alios in ſua poteſtate, cum ipſe tunc ſit in poteſtate Patris, & qui ab alio poſſidetur, alium poſſidere non poſſit; l. *Si eveniet*, ff. ad l. Juliam de adult. Quod ſi opponas periculum deinceps Judaizandi cum Parentibus; dico, tali periculo occurri, cum Infans, recepto baptiſmate, educatur apud Fideles, uti fieri ſolet. Conſule Tonelliũ l. c. ac ibi videbis tempore Clementis VIII ac Urb: VIII. ſic fuiſſe practicatũ Romæ.

CAS. III. *Valentinus prævidet ſibi ſecuturam pollutionem nocturnam, ſi cænando comedat tales cibos, vel cibos tali modo conditos. Hoc non obſtante, abſtinere non vult a tali comeſtione; inquit enim: Talis comeſtio prohibita non eſt. Q. An pollutio inde ſubſequens ſit illi imputabilis ad culpam.*

Reſpondeo negative, ſi non comedit hujuſmodi cibos ad hunc finem, ut ſequeretur pollutio, neque in eam conſenſit, quando ſecuta fuit, neque de ea poſtmodum ſibi complacuit. Ratio eſt, quia tunc evenit per accidens, ac præter intentionem; comedendo namque illos cibos, præciſe habuit animum utendi iure ſuo faciendo hujuſmodi comeſtionem non prohibitam, nec illam fœditatem ullo mo-

do

do intendit. Neque dicas, eam intendisse indirecte vel in causa, volendo directe illam comestionem, ad quam sequebatur. Contra enim cum illa comestio non esset causativa pollutionis ex se & suapte natura, potuit solum eam prævidere ut secuturam per accidens. Jam vero effectus subsequens ad causam licitam solum per accidens, quamvis prævisus, non est imputandus ad culpam ei, qui apposuit talem causam; secus deberet quis abstinere ab equitando; & Confessarii, Medici, ac Chirurgi relinquere deberint suum ministerium, etiam in casu, quo remotum esset omne periculum consensus in tales motus; & qui sentit pruritum in iis partibus, non posset licite se perfricare etiã ad solum finem sedandi pruritum, quia aliquando sequitur spirituũ commotio; quod sane quandoque est moraliter impossibile omittere. Ita Bossius de Cofess. scrupul. tit. 1. §. 16. num. 2205. Giribaldus; Viva, aliique communiter.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Domitilla Vidua se gravidam sentiens ex carnali concubitu cum Marito Sororis sui Conjugis defuncti, ad evitandam infamiam procuravit abortum. Q. An a peccato illius concubitus, ac crimine abortus absolvi possit a quolibet confessario.*

Resp.

Respondeo, peccatum talis concubitus de se utique esse absolvibile a quolibet Confessario in hac Diœcesi; tum quia non est incestus, cum affinitas non pariat affinitatem; tum quia etiamsi esset hujusmodi, hæc reservatio talis peccati non est quoad fœminas, sed quoad mares tantum. Circa crimen abortus postea videndum est, an fœtus esset animatus, vel inanimatus: si enim non erat animatus, etiam, effectu, secuto, absolvi potest a quocumque Confessario, cum iste casus non sit reservatus. Si vero erat animatus, non secuto effectu, potest absolvi: secuto autem effectu, requiritur pro tali absolutione Confessarius specialiter ad hoc habens facultatem, juxta præscriptū a Gregorio XIV. in Constitutione incip. *Sedes Apostolica*, ubi pro tali crimine lata est etiam Excommunicatio ab eodem Pontifice ibidem Episcopo reservata. ut inter alios notat Girbaldus de Pœnit. c. 15. §. 5. n. 60.

CAS. II. *Viator sui juris, ac valde dives, ne occideretur a latronibus, in quos inciderat, ex animo, imo cum juramento, illis promisit certam pecuniæ quantitatem, si illæsum dimitterent. Ob eam rem fuit dimissus incolumis: nunc tamen in tuto positus, recusat implere promissum. Q. An teneatur solvere.*

Respondeo affirmative: sic enim expresse

prei ſe colligitur ex cap. *Debitores* de jureju r. Et ratio eſt, quia licet non mereatur Latro, ut ei promiſſū ſervetur, meretu r tamen Deus, ut detur res promiſſa p er ejus nomen. Propterea Viator qui pror niſit pecuniam cum juramento, & ex anim o, id eſt, cum vera intentione ſe oblig andi, debet vel obtinere ab Epiſcopo r elaxationem juramenti, antequam labatu r terminus præfixus ſolutioni; vel ſolve re, ne verificetur, quod Deus factus fueri t teſtis falſitatis. Neque ſolvendo Viato r cooperaretur injuſtæ receptioni in tali caſu, nā ipſe præciſe faceret, quod ſua in tereſt, reliquendo poſtea in arbitrio Latronis pecuniam ſolutam acceptare, vel non. Ita DD. communiter.

CAS. III. *Infante periclitante, Obſtetrix illum domi baptizavit, ſed cum ſubſtantiali voluntaria mutatione formæ. Poſt annos quindecim id refert Parocho in Confeſſione, monens ipſum, ut propterea conſulat ſpirituali ſaluti talis adoleſcentis; caute tamen, ne ipſius crimen detegat illi, aut aliis Parochianis, probe conſciis; ipſam ſcire conferre baptiſma, ac talem juvenem ab ea fuiſſe baptizatum. Q. Quid agendum a Parocho in iſto caſu.*

Reſpondeo, Parochum in hoc caſu curare debere, ut prima occaſione Doctri-

næ Christianæ inter alios intersit etiam noster Adolescens, & sumpto aliquo prætextu, facere ut hic stet prope ipsum. Inde ferventi sermone habito circa necessitatem Sacramenti Baptismi, omnes adstantes vehementer hortabitur, ut una simul cum actu doloris de omnibus peccatis ab eis commissis, eliciant actui desiderii recipiendi tale Sacramentum, si forte ob aliquem defectum illud valide non recepissent. Postremo, sumpto prætextu illos benedicendi cū aqua lustrali, prius bene madefacto aspersorio, per aspersionem baptizet (proferendo submissa voce formam) nostrum Adolescentem ipsi vicinum, dein successive benedicat alios, & sic salvo sigillo Confessionis, salva fama Obstetricis, consultum sufficienter erit saluti spirituali ejusdem Adolescentis, non obstante illius inadvertentia quāvis enim quando adest, plurimū prosit ad uberiorē fructū; non est tamen necessaria ad valorem Sacramenti, suppositis omnibus aliis requisitis, ut recte tradit Rosignolus de Bapt. q. 3. art. 4. §. 4.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *Titius ob plura peccata luxuriæ cum fœminis commissa graviter increpatus a Confessariis, vovit imposterum non amplius concumbere cum aliqua fœmina.*

fœmina. Q. An licite possit Matrimonium contrahere, & consummare, prius non obtenta solutione ab emissi voti ligamine.

Respondeo cum distinctione: Vel Titius, emittendo hujusmodi votũ, habuit intentionem se obligandi ab abstinendum deinceps a quocumque concubitu, sive illicito sive licito; & tunc certe, si vult contrahere, & consummare Matrimoniũ requiritur dispensatio. Vel solũ intendit se obligare in subjecta materia, hoc est, ad abstinendum a concubitu illicito, ob cujus frequentem, aut repetitum usum fuerat graviter increpatus a Confessariis, & tunc opus non est dispensatione, si velit Matrimonium contrahere; votum enim est quædam obligatio particularis, quam sibi quis imponit, & propterea tantum obligat, quantum quis intenderit se etiam obligare. In dubio postea, an Titius se intendit obligare ad abstinendũ a concubitu Matrimoniali, non requiritur dispensatio; quia cũ in dubio possessio stet pro libertate, censetur ad hoc se non obligasse: ubi enim agitur de obligatione inducenda, facienda est stricta interpretatio; & vovens præsumitur se minus obligare, ut ait Panormitanus in c. *Ex parte* de Censibus num. 3. & 4. Vide Bossium de Conso. dub. part. 2. tit. §. 45. n. 1666. & seq.

CAS. II. *Mutuatarius omnino inscius,*

quod

quod mutuans in actu contractus intenderit mentaliter lucrum ex ipsomet mutuo, exactionis tempore ultra sortem ei tradit aliquid ex amicitia, aut liberalitate. Q. An mutuans possit tuta conscientia tale plus accipere, & acceptum retinere.

Respondeo cum distinctione: Vel Mutuans, ex circumstantiis conijciens Mutuatarium ipsi tradere hoc plus ex pura gratitudine spontanea, mutat primam intentionem, & tale plus recipit præcise juxta motivum dantis; vel eamdem intentionem servando, istud plus recipit tanquam lucrum ex mutuo ratione mutui. Si primum; dico, ipsum quidem peccasse peccato usuræ mentalis, quousque perstitit, ac quoties repetiit illam pravam intentionem. Si hac tamen exclusa, recipit tale plus ex mera spontanea gratitudine, seu ex amicitia, & liberalitate, neq; illicite illud accipit, neque tenetur acceptum restituere; nihil enim intervenit ratione cujus tam receptio, quam retentio evadat injusta; tunc enim illud plus est donum gratuitum, debito modo acceptum, & datum. Si secundum; dico, Mutuantem illud plus usurarie accipere, ac propterea, ut injuste acceptum, & acquisitum, debere illud restituere; nam illa intentio corrupta, quam habet in actu

receptio-

receptionis, vitiat ipſam acceptionem, licet alioquin poſſet eſſe licita, & retentionem rei, alias futuram a peccato immunē. Ita DD. communiter.

CAS. III. *Sumptis a pertranſeunte Romipeta duobus uvæ racemis, Villicus, ei obviam factus, impegit illi totidem calces, & pugnos. Q. An per hoc inciderit in caſum Bullæ Cœnæ.*

Respondeo negative; niſi calces, & pugni fuerint adeo beſtiales, ut (quod neque apparet perceptibile) per tales ictus alicujus partis corporeæ facta fuerit apertio, aut mutilatio, vel ipſius Romipetæ interfectio; verba etenim Bullæ ſunt hæc: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes &c. Romipetas, ſeu Peregrinos &c.* quæ debent intelligi in ſuo ſenſu proprio & rigoroſo, cū agatur de re adeo odioſa, ſicuti eſt excommunicatio major Summo Pontifici reſervata. Vide Syrū Placentinum Dilucid. part. 1. cap. 3. dub. 6. Bonacinam. Duardum &c.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *CApellanus fœminæ accedenti ad ipſi confitendum dicit e Confeſſionali: Vade ad confitendum alteri Confeſſario; cum enim ſim tua pulchritudine captus, timeo ob infirmitatem meam aliquē lapſum, ſi mihi confitearis. Q. an ſit denuntiandus.*

Re-

Respondeo affirmative cum Castropalao, quem refert, ac sequitur Eminentissimus Cozza in dubiis selectis dub. 27. n. 168. Ratio est quia illa verba, *cum enim sim tua pulchritudine captus*, equidem non referuntur ad pulchritudinē Animæ, sed ad illam corporis, a qua dum se captum dicit, clare ostendit, quonam amore illam prosequatur, nimirum, inhonesto & turpi; cujus stimulis etiam se adeo premi fatetur, ut si illius Confessionem excipiat, nec ipsemet sciat, an sacrosancti Ministerii exercitium, loci sanctitas, & apprehensio gravissimi scandali alias secuturi, futura sint satis ad cohibendam impuram flammam & propterea illi svadet, ut ad pedes alterius Confessarii se conferat pro expiatione propriæ conscientiæ. Hæc omnia peracta a Confessario in loco ad audiendas Confessiones deputato, & occasione Confessionis, meo videri, plusquam sufficiunt ad inducendum onus, ipsum Sanctissimæ Inquisitioni denunciandi.

CAS. II. *Igne casualiter applicito domunculæ mulieris, quæ recenter parturit Parochus parum distans illico fuit accersitus, ut iret ad ibi baptizandum Infantem & dandam Absolutionem mulieri ab omnibus derelictæ, nec potenti e lecto surgere. Is tamen*

men ob rationabilem metum mortis, noluit illuc intrare, quamvis adesset tempus & se conferendi, & prædicta peragendi. Q. An talis omissio sit illi imputabilis ad culpam.

Respondeo affirmative cum S. Thoma, Suarez, cæterisque communiter; ut videre est apud Barbosam de Off. & potest. Parochi, c. 17. n. 12. tenetur enim ex justitia, non solum cum probabili, verum etiã cum certo periculo suæ vitæ corporalis, consulere necessitati spirituali suorum Parochianorum. Et sane si ordo Charitatis postulat, ut unusquisque in extrema necessitate spirituali proximi sui, potens ei succurrere, illi succurrat etiam cum certo periculo vitæ propriæ, ut mente sanctorum Augustini & Thomæ de communissima sententia testatur Spórer tract. 3. in 4. præc. Dec. c. 6. sect. 4. n. 125. quanto magis ad id tenebitur Parochus, cujus sunt oves propriæ, & qui ad hoc alitur, ut de iis, quæ nedum necessaria sunt, verum etiam utilia, ad spiritualem salutem, suis Parochianis provideat: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, inquit summa veritas Christus, Joan. 3. Et 1. Joan. 3. legitur: *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus* (nota istud verbum *debemus*) *pro fratribus animas ponere*. Propterea

S. Augustinus lib. de men. c. 6. inquit: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Et ratio est, quia vita spiritualis, etiam aliena, utpote majus bonum, ac bonum ordinis altioris, præferri debet saluti corporali cujuscumque viventis. Ex his patet, quam graviter noster Parochus deliquit, maxime in casu, quo periculum vitæ erat solum probabile, & per actum Contritionis poterat sibi consulere.

CAS. III. *Rusticus certus de debito olim contracto, incertus vero an suo Creditori, nunc defuncto, satisfecerit, se immunem credit ab onere solvendi istius hæredibus, eo quod hic & nunc dubium sit, an sit adhuc debitor. Q. An sana sit hæc rusticana doctrina.*

Respondeo negative: ex quo enim hic & nunc dubium sit, an sit adhuc debitor, potius credere debet, se non esse immunē ab onere solvendi hæredibus Creditoris, cum in casu possessio stet pro obligatione certo contracta, quam sane non adæquat, & a qua non eximit solutio dubia; sicuti dubium de Voto impleto, aut de officio persoluto, non eximit ab onere implendi Votum, & recitandi Officium. Neque dicas, in dubio meliorem esse conditionem possidentis; nam ex hac regula potius eruitur, Rusticum in casu teneri adsolvendū,

cum, juxta dicta, possessio stet pro obligatione certo contracta. Tenetur ergo in casu solvere hæredibus defuncti, & quidē in integrum, ni certus sit de partiali solutione jam facta, ut contra Layman recte tradit Merolla disp. 3. de consc. c. 3. dub. 2. n. 65. in fine; possessio enim stat pro obligatione totali, & executio obligationis, utpote quid facti, non præsumitur, nisi probetur, ut apud Bossium tradit Mascardus de probat. concl. 737. num. 1. Hinc sicut in dubio, an quidquam Officii recitaverim, teneor totum officium recitare, ita &c. Vide Merollam l. c. id asserentem quoque in casu, quo etiam Creditor de solutione dubitaret.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Berta ad fidem conversa rem habuit cum Cajo, qui tenuerat ejus Filium ad Baptismum, dum ipsa adhuc in judaica perfidia persistente, solus ejus Vir fuerat Catholicam religionem amplexus.* Q. *An talis concubitus sit incestuosus.*

Respondeo negative, quia Berta non erat Cognata spiritualis Caji, hanc enim cognationem non contraxit, quando ejus filius fuit baptizatus, nam tunc, utpote Judæa, non suberat legibus Ecclesiæ: non postea, quando fuit baptizata; quia quod ab initio non subsistit, tractu temporis non

firmatur;

firmatur; ut cum Sanchez, Bonacina, & aliis communiter tradit Continuator Operum Tournely tom. 3. tract. de disp. in spec. part. 1. c. 4. de imped. Cognat.

CAS. II. *Executor testamentarius ex lectione Testamenti conjiciens, Sergium reliquisse pro anima sua centum Missas, ut id executioni mandetur, Amico scribit Forosempronium, ubi juxta taxam Synodalem eleemosyna pro Missis est julius Urbinar, minor Romano per tres asses cum dimidio circiter reliquum, quod hic dari solet; sibi retinendo tanquam fructum industriæ. Q. An id licite fieri possit.*

Respondeo negative: non enim locum habet fructus industriæ, ubi totum est sub præcepto tradendum, sicut in casu præcipiunt tot Constitutiones Pontificiæ, & S. Congr. Concilii, damnabile lucrum appellantes quamcumque retentionem partis eleemosynæ in hisce casibus. Sufficiat, ad id clarius dignoscendum, animadvertere, S. Pontificem, simulque Archiepiscopum nostrum Benedictum XIV. fel. reg. in sua Constit. edita die 30. Junii 1741. declarare, quod si Laici, sive sæculares, parte stipendiorum sive retenta, sive ibidem, sive alibi, ubi minora stipendia tribuuntur, Missas celebrari fecerint, præter alias pœnas ad Episcopi arbitrium, excommunicationis

municationis pœnam, si Clericus, sive quicumque Sacerdos, pœnam Suspensionis, ipso facto incurrant, a quibus nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

CAS. III. *Detentus in Carcere, non valens aliter vitare mortem, ac patibuli infamiam, occidit Custodem Carceris, & fugam arripuit. Q. An id faciendo peccaverit.*

Respondeo, quidquid sit quod speculative loquendo sententia negativa in aliquo casu possit habere locum, ut inquiunt Lugus, Diana, Panimolla, & alii; practice tamen absolute dicendum est, quod detentus in Carcere licite non possit occidere Custodem Carceris: nam inprimis nemo, saltem regulariter, damnatur ad mortem nisi servato juris ordine; deinde cum unusquisque facilis sit ad credendum, se esse innocentem, vel saltem non adeo reū, ut morte plecti mereatur, late nimium aperiretur via ad operandum conformiter ad propositionem 18. damnatam ab Alexandro VII. si occisio in casu ut licita admitteretur. Quare dicendum, neque in tali casu licere occisionem Custodis, tum quia hic est inculpabilis, & exequitur mandatum Judicis; tum quia, ex D. Augustino in Epistolam ad Publicolam, & alibi,

qui

qui sine aliqua administratione aliquem occidit, non excusatur a culpa; tum quia denique, si neque per appellationem ad aliud tribunal potest damnum impediri, id est per accidens, tribuendumque proprio infortunio, non secus ac si de Cœlo vita tangeretur; ut inquit Viva ad dictam propositionem 18.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *ARistobolus, relicto dominio directo omnium suorum bonorum unicæ Filiæ, quam habebat, usumfructum eorumdem pro medietate reliquit eidem; pro alia medietate Uxori, dummodo utraque caste vivat. Q. An si Filia alicui nubat, & Uxor transeat ad secunda vota, possit licite consequi relictum a Testatore.*

Respondeo, stando terminis casus, posse. Ratio pro utraque est, quia castæ sunt Nuptiæ, & concubitus cum propria Uxore castus, cap. *Nicæna* dist. 31. Me non latet, Sanchez de Matr. lib. 8. disp. 91. n. 4. & 16. in eam potius inclinare sententiam, probabilioremque existimare, quæ affirmat, in casu, quo dicta conditio injuncta fuisset ab extraneo in ordine ad Viduam, posse hanc, secundo nubendo, in tali casu consequi relictum a Testatore: secus vero dato, quod illam injunxerit Maritus ipsius, eo quia cum secundæ Nu-

priœ ſunt Marito inviſæ, præſumitur quod per ly *caſte* ipſe intenderit abſtinentiam a ſecundis Nuptiis. Quoniam vero verba intelligenda ſunt in ſuo proprio ſenſu, quando huic nihil obſtat, neque de alio conſtat, quod hujusmodi verba in alium ſenſum detorqueat, ideo in prima ſententia ſiſto, quam inter alios tradit Abbas in cap. *Quod ad te ext.* de Cleric. Conjug. Unum hic addo, & eſt, quod ſi Teſtator appoſuiſſet hanc aliam conditionem loco prædictœ: *Dato quod non nubant*, tunc adhuc poſſet Filia conſequi relictum nubendo, non ſic autem Vidua; quia quoad Filiam jura ſanxerunt in favorem Matrimonii, ut illa conditio nullius ſit efficaciæ adeoque quod, hoc non obſtante, Filia poſſit alteri nubere; non ſic quoad Viduã.

CAS. II. *Orta contentione inter duos Milites ratione ludi alearum, unus alterum provocavit ad ſingulare certamen illico peragendum in loco parum diſtanti. Id audiens Clericus, cito eo ſe contulit, ob ſolum finem impediendi certamen; fruſtra vero, ſiquidem Milites, ejus precibus, & clamoribus inflexibiles ad invicẽ dimicarunt, & coram Clerico unus alterum interemit. Q. An occiſus ſepeliri poſſit in loco ſacro, & tum occiſor in Excommunicationẽ, quam Clericus incurrerit in Irregularitatem.*

Reſpondeo. Cum iſthæc pugna inter

duos hos Milites rigorose duellum dici non possit, eo quia in rixa & calore iracundiæ unus incitavit alterum, & statim ambo se contulerunt ad pugnandum, ex quo infertur non præmeditate, nec prævia conventione eos ad invicem dimicasse, inde statim emergit responsio, quod per se loquendo, quantum ex hoc est, potest occisus sepeliri in loco sacro, Occisor non incurrit in Excommunicationem, nec Clericus contraxit Irregularitatem. Ratio primi ac secundi est, quia privatio Ecclesiasticæ Sepulturæ, & Excommunicatio sunt pœnæ graves, statutæ contra vere & proprie Duellantes, adeoque cum simus in materia odiosa, eos tantum afficiunt, qui verum duellum commisere; sicque cum illi duo Milites juxta dicta verum duellum non commisserint, ideo &c. Ratio tertiæ partis est, quia ille Clericus internecionis alterius nullo modo particeps fuit; non enim contulit opem, non consilium, non mandatum, non denique aliud quidquam, quod in homicidium, ab altero Milite perpetratum, influxerit; quinimo rixantes ad pacem hortatus fuit, quantum in ipso erat, eisdem dissvasit, ut abstinerent a pugna, uno verbo, fecit, quantum potuit, ut ab eis omne malum averteret,

simulque

ſimulque eos reconciliaret; propterea non contraxit Irregularitatem. Nec obſtat, quod fuerit præſens homicidio; præſentia enim, ob quam contrahitur Irregularitas, ea eſt, qua quis homicidæ aſſiſtit, ut ipſum defendat, quando opus ſit, vel illum non prohibet a cæde, dum poteſt, vel denique ſua præſentia illum audaciorem, ac fortiorem reddit; quorum neutrum cum de noſtro Clerico verificetur, hinc eſt, quod ab Irregularitate revera eſt immunis. Ita DD. communiter.

CAS. III. *Navi mercibus infidelium onuſta ob ingentem procellam in ſcopulos allidente, Titius ad littus maris exiſtens, notabilem mercium portionem ſurripuit, & ut hæc domum ſuam deferrentur, curavit. Q. An incurrerit Cenſuram latam in Bulla Cœnæ Domini, & teneatur ad reſtitutionem?*

Reſpondeo cum diſtinctione. Vel hujuſmodi merces ſunt quidem infidelium, ſed Chriſtianorum, puta Anglorum; vel ſunt infidelium Paganorum, ſeu Turcarum. Si primum, dico Titium cum Cenſuræ notitia hujuſmodi bona ſurripientē, revera illam incurriſſe, ni forte habuerit animum illa reſtituendi vero Domino. Ratio eſt clara, quia Bulla expreſſe ſubjicit Cenſuræ ſurripientes bona naufra-

gantium Christianorum, sive in Navibus, sive in Mari, sive in littore; & hæc certe restitui debent per se loquendo, cum ipsi non sint hostes Catholicorum. Si secundum; dico, Titium non incurrisse Censuram, neque teneri ad restitutionem, quia Turcæ sunt hostes infensissimi Catholicorum, surripientes his, quidquid possunt surripere. Unde si aliquando surripi aliquid potest etiam ipsis, hoc juste illis surripitur in compensationem. Vide Syrum Placentinum l. suprac. nempe par. 1. cap. 3. dub. 1.

ANNO MDCCXLIX.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *Tarquinia Mariti graviter ægrotantis vicinam mortem agnoscens, suspiriis, atque clamoribus cœpit aërem replere. Id audiens Galenus, olim cum ea luxuriose versatus, illius domum ascendit; eamque sic mœstam videns: heu, inquit, quid est hoc? si unum Maritum amittis, alium cito reperies. Visne me, si tuus moriatur conjux? Cui illa subridens annuit; functoque Marito se ut Sponsos mutuo tractare cœperunt. Q. An subsistant hujusmodi Sponsalia.*

Respondeo negative. siquidem etiam dato, quod Galenus cum Tarquinia luxuriose versatus nunquam ipsam cognoverit

verit per adulterium, & hæc annuens interrogationi ejusdem verum habuerit animũ se illi spondendi, ipsumque ducendi post mortem Conjugis; adhuc deest in casu Galeni repromissio; hic enim per ea verba Tarquiniæ prolata, antequam ejus Conjux obiret, illi quidem ostendit animi propensionem ad ipsam ducendã, neutiquam vero se ipsum ducturum illi positive promisit, ut serio perpendenti eadem verba sit manifestum. Propterea cum uno ore DD. ac Jura clament, sponsalia absque mutua promissione non posse subsistere, consequens est, ut isthæc Sponsalia nullo plane valore polleant: addo, eadem nullius adhuc roboris futura, etiamsi uterque vere alteri promisisset; nam promissio Nuptiarum, vivente adhuc Conjuge, facta, nedum est graviter illicita, verum etiam omnino nulla & irrita, ut ex cap. fin. *De eo qui duxit*, & ex l. fin. ff. de Pact. notant DD. Quare ni postmodum se ut Sponsos tractando Galenus & Tarquinia Nuptias sibi legitime promiserint, luce clarius est, eorundem Sponsalia nequaquã subsistere. Resignol. t. 1. de Mat. disp. 3. §. 5.

CAS. II. *Horum sparso rumore Sponsalium, devenit Cajus, qui Tarquiniam sibi & non alteri nubere debere prætendit, eo quia mutuo*

mutuo ſeſe promiſerant, antequam ipſa ſponderet, ac nuberet Conjugi, nunc vita functo. Q. An juſta ſit, ideoque in foro conſcientiæ ſatisfacienda iſta prætenſio.

Reſpondeo affirmative, ſi Tarquinia, ut ſupponitur, ſine juſta cauſa olim reſiliit a Caji ſponſalibus, hicque eam hactenus expectavit, nec interim emerſit juſtum motivũ Caji Nuptias repudiandi. Ratio eſt, quia promiſſio rite facta, & acceptata, evadit debita, cujus obligatio ſuſpenditur quidem per impotentiam intermediam, extinguitur vero per ſolã impotentiam perpetuam; ut patet exemplo tum Debitoris ad extremam neceſſitatem redacti, qui ſi dein fiat potens, tenetur ſatisfacere Creditoribus; tũ promiſſoris rei, per venditionem poſtea alteri traditæ, qui diſſoluto ex aliquo caſu venditionis contractu, recuperatam rem tenetur tradere promiſſario, quando neque hic ea indignus, neque ipſe illius indignus factus eſt. Cum ergo Tarquinia ex una parte rite promiſerit Nuptias Cajo, hicque talem promiſſionem rite acceptaverit; ex alia nunc ipſa poſſit Cajo nubere, qui ea indignus factus non eſt; dicendum, quod ſi vult ad ſecunda vota tranſire, nec ulla premitur neceſſitate nubendi alteri a Cajo, huic nubere teneatur.

tur. Nec obſtant jura, quæ opponi ſolent; hæc enim ſtatuunt quidem, quod ſi uni ſponſa alteri nubat, debet cum iſto manere, cum pro eo tunc impleri nequeat prima promiſſio; at non dicunt, hanc penitus extingui, adeo ut ſoluto Matrimonio, ſi velit denuo nubere, primo nubere non teneatur. Imo cum in jure expreſſum habeatur, æquum non eſſe, ut delinquens ex ſuo delicto commodum reportet; inde colligitur, quod Tarquinia debeat nubere Cajo, cum jampridẽ ſe ipſi abſolute nupturã promiſerit. Vide Pontium lib. 12. cap. 13. & Giribaldum de Matr. cap. 2. dub. 4.

CAS. III. *Poſt varia rerum diſcrimina Cajo de facto tandem nubit Tarquinia; at poſt primum partum incidit in amentiam. Q. An Cajus licite poſſit cum ea proſequi maritale commercium.*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel amentia Tarquiniæ, peritorũ judicio, tanta eſt, ut prolis, quæ alias concipienda rationabiliter prævidetur, ſuffocatio in utero, vel immatura ejectio prudenter timeatur; & in tali caſu dico, non poſſe Cajum pro eo tunc cum ea proſequi maritale commercium, ne prolem iſti periculo exponat, quod teſte Roſignolo de Effect. Matr. præn. 3. ſect. 4. per omnes

illicitum

illicitum eſt. Vel amentia Tarquiniæ eſt adeo levis, ita ut, omnibus bene perpenſis, ſecluſum prudenter judicetur hujuſmodi periculum; & tunc ſubdiſtinguo: Vel maritale commercium majus ac notabile detrimentum affert ſaluti Tarquiniæ; & tunc dico, non poſſe Cajum &c. nam juxta S. Thomam in 4. diſt. 32. q. 1. art. 1. Conjux non habet poteſtatem in corpus alterius ni ſalva incolumitate perſonæ. vel maritale commercium non affert Tarquiniæ &c. & tunc dico, Cajum illud proſequi poſſe, cum ipſum nil reddat illicitum.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *Titius habens filiam nubilem; ſed ob inopiam impotens illam dotare, ad eam collocandam in Matrimonium, furtive ſurripuit Scuta quingenta, quibus ipſa facile Sponſum invenit, cui proinde fuit Matrimonio copulata. Poſt aliquot annos Matrimonii conſummati detegit Sponſus, Dotem, ſibi ab Uxore delatam, totam fuiſſe Franciſco ablatam per furtum. Q. An teneatur huic illam reſtituere.*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel ſponſus adhuc ſervat hujuſmodi Dotem impermixtam, aut diſcernibilem ab aliis ſuis pecuniis; & tunc dico, eã, ſi legitime præſcripta non ſit, eſſe reſtituendã Franciſco.

ciſco. Vel hujuſmodi Dos jam eſt legitime præſcripta, aut fuit ab eo permixta cum ſuis qualitate ſimilibus: & quantitate majoribus; & tunc dico, Sponſum non teneri ad ejus reſtitutionem. Ratio primæ partis eſt, quia res aliena quamdiu præſcripta non eſt, ac exiſtit in ſpecie ab aliis diſcernibilis, manet ſui Domini, & ad illum clamat, ubicumque ſit. Hinc Sponſus in iſto caſu debet inter eos ſe recenſere, qui putando ducere divitem, duxerunt pauperem. Ratio ſecundæ partis eſt, quia per legitimam præſcriptionem transfertur dominium, & ob dictam mixtionem Dos accepta cenſetur moraliter conſumpta, ut cum Gloſſa in l. 78. ff. de ſolut. tradunt DD. commu. Quare cum bonæ fidei poſſeſſor, uti eſt noſter Sponſus, conſumpta re accepta, ad ejus reſtitutionē non teneatur, dicendum &c. Neque opponas, hunc teneri ad id, in quo factus eſt ditior; cum enim Dos ei data fuerit ad ſuſtinenda onera Matrimonii, nec exinde pro ſe ullum lucrum perceperit, ex ea in nihilo ditior factus eſt, ideoque &c. Sporer, La Croix, aliique paſſim.

CAS. II. *Lutheranus Dux exercitus minatur mortem parentibus Sacerdotis, niſi hic legat Opera Lutheri, & coram ipſo*

Miſſam

Missam celebret. Q. An Sacerdos possit ob tale motivum licite ista peragere.

Respondeo cum distinctione: Vel Lutheranus id facit in Fidei, ac Catholicæ Religionis contemptum; & tunc certe nequit Sacerdos licite ista peragere; nam, ut recte inquit Duardus in Bull. Cæn. D. lib. 1. c. 2. q. 2. n. 16. id esset virtualiter contemnere, aut negare fidem exterius, vel saltem contemptori cooperari: quod, utpote malum ab intrinseco, neque ad parentum, neque ad propriam mortem evitandam fieri potest. Vel id facit præcise ad suæ potentiæ ostentationem, vulgo *per bravura*, & tunc dico, quod si Sacerdos rationabiliter metuit mali comminati executionem, in dicta peragat, potest quidem ea licite: peragere, secluso omni periculo scandali, subversionis &c. sunt enim ex una parte actiones malæ, quia prohibitæ; ex alia, prohibitio earumdem non censetur in hisce casibus intervenire, cum Ecclesia non obliget cum tanto incommodo: si tamen adsit periculum scandali, aut &c. tunc neque ad dictum finem ea licite facere potest; præceptum namque sibi, vel proximo non inferendi laqueum iniquitatis, obliget semper & pro semper, ut tradunt DD. commun. Propterea Aposto-

lus 1 ad Cor. 8. dicebat: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

CAS. III. *Alter Sacerdos majori excommunicatione innodatus, sed occulta, sciens proximam sui Electionem in Parochum, tacet, eo quod ipse sit pauper, & habeat Parentes egenos. Q. An ita se gerendo peccet.*

Respondeo, hujusmodi Sacerdotem non peccare, si ex una parte prius absolvi nequeat a Censura: ex alia, sua suorumve parentum egestas talis sit, ut ni eligatur ad tale Beneficium, gravi incommodo cogatur succumbere: peccaret vero, si vel prius absolvi possit a Censura, vel sua suorumque parentum indigentia sit levis. Ratio primæ partis est, quia in tali casu locum habet Epicheja; cum enim obligatio se excusandi proveniat a præscripto Ecclesiœ, quæ est mater pia, jure creditur, hanc non extendisse præscriptum suum ad hujusmodi casum cum tanto Sacerdotis incommodo, præcipue cum se eo tunc excusando subsit periculo ingerendi electoribus suspicionem, suo nomini, & charactéri non parum indecoram, vel incurrendi apud ipsos notam infamiæ, aut saltē immodicæ charitatis erga se, suosve parentes. Ratio secundæ partis est, quia si potest a Censura prius absolvi, id curare tenetur,

tenetur, ut ſui electio canonice fiat; alias evincitur contemnere, vel saltem negligere Canones, ac præſcriptum Eccleſiæ; & levis egeſtas non excuſat ab obſervantia præcepti de impedienda in caſu ſui electione ob inhabilitatem ratione Excommunicationis. Roſignolus tom. 1. de Cenſur. q. 2. c. 18. monens in primo caſu, ultra abſolutionem a Cenſura, debere Sacerdotem occulte petere ab Epiſcopo diſpenſationem, ut ſui electio convalidetur.

MENSE MARTII.

CAS. I. *Capellanus nocturno tempore vocatus ad miniſtrandam Extremam Unctionem Infirmo, ſumpſit per errorem Oleum Catechumenorum pro Oleo Infirmorum, eoque inunxit ægrotum. Q. An valide.*

Reſpondeo. Licet opinio affirmans probabilis videatur, tum quia utrumque eſt Oleum Olivarum ab Epiſcopo benedictū, in quo per Concilia ſita eſt hujusce Sacramenti materia remota; tum quia unum eſt, ab alio Eccleſiaſtica tantum benedictione diverſum, ſicque Olei mutatio poteſt quidem reddere illicitam, non autem invalidam Sacramenti collationem; tum quia denique diverſi fines, ad quos unumquodq; ordinatur, utpote fines operantis, ex-

trinseci sunt, nec variant materiæ substantiã. Hoc non obstante sententia negativa meo judicio videri aperte colligitur ex doctrina S. Tho: cui ultra plures alios DD. adamussim consonant Acta Eccl. Mediol. par. 4. in Instr. Unct. de dilig. in Ministr. ait. enim Angelicus Opusc. 65. de Sacr. Unct. *Si Sacerdos deprehenderit se errasse, & ex errore de alio Oleo* (nempe Catechumenorum) *unxisse, debet adhuc de Oleo debito ungere*, id est, de Oleo Infirmorum, ut ex contextu S. Doctoris manifeste constat. Atqui si Capellanus in casu valide unxisset, non deberet amplius de Oleo debito ungere; cum enim error non officeret validitati Sacramenti, non esset, cur unctionem iteraret; ergo si post unctionem cũ Oleo Catechumenorum debet adhuc ungere cum illo Infirmorum, hoc ideo est, quia cum illo unxit invalide. Hinc assero, in casu saltem dubium esse Sacramenti valorem, proindeque (monito populo, si secus adsit periculum Scandali, de inculpabili errore) unctionem sub conditione iterandam ægroto cum Oleo Infirmorum, ut apud Lacroix, & alios, sancivit Synodus Coloniensis anno 1662.

CAS. I. *Vidua quædam transire vellet ad secundas Nuptias cum Sergio, quoniam vero opus est dispensatione, eo quia Sergius*

tenuit

tenuit duas ejus filias ad Baptiſmum, & filium ad Confirmationem; ideo petit, an interveniat triplex cognatio ſpiritualis, an ſit neceſſe exprimere in ſupplici Libello, quod ille tenuit bis ad Baptiſmum, & ſemel ad Confirmationem. Q. Quid reſpondendum.

Reſpondendum, in caſu duplicem tantum intervenire Cognationem ſpiritualē, una ſcilicet ex tentione, licet repeti a, ad Baptiſmum; alteram ex tentione ad Confirmationem; ſic enim declaravit Clemens VIII. apud Garziam de Juſtis, & alios. Neque hoc mirum videri debet; nam ſicuti ex copula, etiam repetita, cum eadem Uxore, una tantum emergit affinitas inter Maritum, & Uxoris conſangvineos, quia eadem eſt radix affinitatis; ita ex tentione etiam repetita ad idem Sacramentum una tantum emergit Spiritualis Cognatio inter tenentem & Matrem detentorum, quia eadem eſt radix Cognationis. Econtra per tentionem ejusdem, aut diverſæ prolis ad Baptiſmum & Confirmationem duplex emergit Spiritualis cognatio, quia ſunt duo Sacramenta diverſa, adeoque duplex radix Cognationis; ſicuti per copulam habitam cum duabus Sororibus duplex emergit affinitas, quia duplex eſt radix affinitatis.=Reſpondendum ſecundo, ſatis eſſe, ac ſimul neceſſarium exprimere, quod

Sergius

Sergius tenuit filios Viduæ ducendæ ad Baptiſmum & Confirmationem. *Eſt ſatis*, quia ſic exprimitur duplex prædicta cognatio, quam Vidua habet cum Sergio. *Eſt neceſſarium*, ne quo ad unam tantum diſpenſetur, ſic alia remanente indiſpenſata *Quod tenuit filios* &c. ut duplicetur modus, quo volentes contrahere ſunt cognati nempe, per Compaternitatem, & Commaternitatem, nam inter Patrem & Filiam, aut Matrem & Filium, ſpirituales, ob majorem indecentiam Matrimonii vix unquã Eccleſia diſpenſat, ut refert Fagnanus in cap. ex lit. de Cognat. Spir. & cum de juſtis Anacletus lib. 4. Decr. in Append. num. 200.

CAS. III. *Orta gravi contentione inter duos, hi ſibi ad invicem, ac æqualiter detraxerunt. Poſt aliquot dies unus ipſorum inveniens, alterum in loco publico eum ſalutavit; at ſalutatus alterum, licet advertens, non reſalutavit. Q. An, & quomodo hic peccaverit.*

Reſpondeo cum diſtinctione. Vel ſalutatus eſt æqualis, aut fere æqualis conditionis cum ſalutante, vel eſt conditionis longe inferioris. Si primum; dico, quod peccavit mortaliter contra Charitatem; reſalutare namque ſalutantem, inter æquales, non eſt ſignum ſpeciale, ſed generale, ac commune dilectionis, quod juxta Do-

ctorem

ctorem Angelicum, aliosque communiter, neque inimico negandum eſt; & illius denegatio, ſuppoſita contentione præcedente, jure accipitur in ſignum contemptus, malignitatis, odii, ac vindictæ, adeoque eſt ſufficiens nedum ad cauſandam magnã contriſtationem in non reſalutato, verum etiam ad illi præbendam occaſionem reaſſumendi inimicitiam, aut in ea perſeverandi, & ſi id palam fiat, parit non raro ſcandalum in videntibus. Si ſecundum; dico, non reſalutantem per ſe loquendo nullius peccati ab hoc reum eſſe, præcipue ſi ante contentionem etiam ſalutatus non ſolebat eum ſemper reſalutare; nam in iſto caſu omiſſio reſalutationis nequit adſcribi odio, contemptui, ac vindictæ, niſi irrationabiliter; cum reſalutare ſalutantem conditionis notabiliter inferioris, ſit ſignũ ſpeciale, non autem generale dilectionis, ut paſſim monent DD.

MENSE APRILI.

CAS. I. *MEretrix aliquando fornicata etiam cum Hebræis, & Caſtratis, cognitis ut talibus, expreſſit quidem in Confeſſione ſe pecaſſe cum liberis, vel etiam cum uxoratis; at non expreſſit ſe peccaſſe cum Hebræis, & Caſtratis.* Q. *An ſufficienter ſe expreſſerit,*

Reſpondeo negative quoad utroſque,

ſi Caſtrati utroque teſte carebant. Ratio quoad Hæbreos eſt, quia cum hi ſint Chriſto infenſiſſimi, qui eſt caput Eccleſiæ, ac Dux, & Legifer noſter, commixtio perſonæ catholicæ cum eisdem eſt ipſimet Chriſto injurioſa, utpote cum hoſtibus ejus, ideoque importat quandam peculiarem malitiam contra virtutem Religionis, quæ propterea debebat exprimi in Confeſſione, manifeſtando qualitatem Hebræorum. Exemplum clarum habemus in concubitu cum Dæmone ſub humana ſpecie apparente; ſicuti enim quamvis iſtud peccatum reducatur ad beſtialitatem, eo quod commiſſum fuerit cum ſuppoſito diverſæ ſpeciei; tamen, quatenus commiſſum cũ maximo Dei, & hominum hoſte, involvit ſpecialem malitiam contra virtutem Religionis, ut cum Tamburino notant La Croix de Confeſſ. n. 1084. aliique comm. ideoque etiam ob hoc exprimi debet, quod concubitus fuerit cum Dæmone, ſub ſpecie vel puellæ, vel conjugatæ, vel &c. ita licet commixtio Meretricis cum Hebræis ſit fornicatio, vel adulterium, eo quod fuerit cum Liberis, vel Uxoratis; tamen quatenus facta cum hoſtibus Chriſti, involvit peculiarem malitiam contra Religionem, ideoque exprimi debebat, quod fuerat cum Hebræis. Ratio poſtea

quoad

quoad Castratos est, quia eo ipso quod utroque teste carebant, erant inepti ad proprie seminandum sicque ad generationem, ad quam copula a natura ordinata est; propterea commixtio Meretricis cum eisdem reducitur vel ad speciē quandam peccati contra naturam, vel ad copulam essentialiter imperfectam; ad quam proinde rite exprimendam, manifestari debebat, eam fuisse cum Castratis utroque teste carentibus. Quare cum Meretrix non expresserit se coivisse cum Hebræis, & Castratis, dicendum &c. Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 6. Puteobonellus, & alii.

CAS. II. *Sempronius sollicitat, ac provocat mulierem ad secum peccandum, sed non quidem cum animo revera patrandi tale delictum, quinimo experiendi an illa casta sit, & vere constans.* Q. *An peccet mortaliter.*

Respondeo affirmative: ad hoc enim, ut petitio actus illicita sit, non est necesse, quod petens habeat animum ponendi actum petitum; sed sufficit, quod actus, saltem quoad apparentiam serio petitus, sit malus; sic enim verificatur, quod ipsa petitio sit inductiva ad culpam, utpote ex se inductiva ab actum malum. Hinc Cajetanus 2. 2. q. 78. art. 4. jure monet, esse animadver-

animadvertendum, an actus petitus possit ab eo, a quo petitur, licite fieri, nec ne; hæc enim est radix licitæ; vel illicitæ petitionis. Similiter advertit Navarrus in Manual. de 4. præc. Decal. c. 14. eum non esse à gravi culpa immunem, qui petit a Muliere, ut secum dormire velit aut se cum ipso metiri in eodem lecto, si ex modo loquendi non indicet se id dicere ex joco, & animo alieno a similibus perpetrandis; quod tradit etiam Alphonsus de Leone tom. 1. recol. 14. n. 27.

CAS. III. *Confessarius etiam pro lethalibus imponit Pœnitenti satisfactionem in operibus alias debitis, licet hic possit etiam peragere indebita. Q. An male se gerat.*

Respondeo: Confessarium id facientem sine urgenti, ac rationabili motivo male se gerere. Ratio est, quia ex Tridentino, Confessarii debent imponere pœnitentibus satisfactionem congruam in vindictã & castigationem præteritorum excessuũ, nec non ut frenum ipsos retrahens a futuris. Jam vero eam imponendo etiam pro lethalibus in solis operibus jam debitis, non ita bene se gerit Confessarius noster; etenim quamnam vindictam, & castigationem sentit Pœnitens ex tali impositione, si nihil gravaminis hæc illi superadit, cum ad id solum teneatur, ad

quod

quod tenebatur prius? qua majori vi cohibet hoc frenum, si ei nil additur de novo, quod retrahat? Neque dicas; ipsi imponi novam obligationem, cum res jam debita ab eo ponenda sit ex novo titulo. Contra enim, cum ratione hujus novæ obligationis, ac novi tituli, res ponenda non evadat magis pœnalis, & gravioris incommodi, me hercle est captu difficile, quod in casu sit vindicta, & castigatio proportionata peccatis mortalibus, & frenum ab ulterioribus retrahens, ad mentem Patrum Tridentini Synodi. Rosign, de Pœnit: part: 1. q. 5. art. 7. n. 7. Nugnus, & alii.

MENSE MAII.

CAS. I. *Occasione Jubilæi, qua habetur facultas absolvendi etiam a Casibus Summo Pontifici in Bulla Cœnæ reservatis, Confessario se præsentat habens peccatum hæresis formalis externæ.* Q. *An ab eo possit absolvi.*

Respondeo negative: cum enim crimen hæresis sit præ cæteris gravissimum ac speciali nota dignum, Alexander Papa VII. sub die 23. Martii 1656. inhærens declarationibus alias a suis Prædecessoribus factis, & ad removendam quoad hoc omnem dubitationem, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi non cen-

ſeri comprehenſam in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi; ut referunt SS. D. N. Papa Benedictus XIV. fel. reg. tom. 1. Notif. 4. ac Illuſtriſſ. & Reverendis. D. Auguſtinus Spinola, Epiſcopus Savonenſis, in Notific. facta 16. Maii 1735. occaſione Jubilæi conceſſi à fel. rec. Cle: Papa XII. propterea audiendi amplius non ſunt quoad hoc oppoſitum ſuſtinentes, etiamſi contraria opinio anno 1607. Romæ fuerit approbata in ſacra Pœnitentiaria, ac olim ſervaretur in praxi, ut refert Filliuccius tom. 1. tract. 9. cap. 10. n. 265.

CAS. II. *Ultima die: qua idem jubilæum expirat, ſe pariter Confeſſario præſentat involutus occaſione proxima peccandi, quam ſæpius admonitus noluit unquam removere. Q. An poſſit hic lucrari Jubilæum?*

Reſpondeo, poſſe; non quatenus involutus occaſione proxima debeat a Confeſſario illico abſolvi, quod certe fieri non debet in caſu, ſed quatenus, cum in Bullis Jubilæi regulariter Confeſſariis ſit conceſſa facultas prorogandi abſolutionem detentis aliquo impedimento pro ipſo Jubilæi tempore poteſt Confeſſarius hunc morem gerere cum præſenti Pœ-

nitente,

nitente, eoque ad Sacramentalem Confessionem rite dispolito, illum a Casibus etiam reservatis vigore dictæ facultatis absolvere, perinde ac si Jubilæi tempus nondum fuisset transactum, ut dici solet de peccatis eo tunc oblitis: nam ratione judicii per Confessionem intra debitum tempus incepti, Confessarius acquisivit jus idem judicium postea complendi, & Pœnitens se per Sacramentum Deo reconciliandi, ut vivæ vocis oraculo declararunt S. Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. teste Vega apud Mazzuellum de Cas. Reserv. disp. 1. q. 4. dis. 21. n. 81.

CAS. III. *Denique se præsentat eadem die, qui hactenus nullum ex præscriptis operibus implevit; imo illa ipsa die jam fregit jejunium: Fierine potest, ut etiam hic lucretur Jubilæum?*

Respondeo affirmative, etiamsi cætera opera voluntariè omisisset animo non lucrandi Jubilæum, dummodo animũ mutet, ac intra tempus pro Jubilæo præscriptum (quo solum dicta facultas competit Confessario) saltem Confessionẽ incipiat. Ratio est, quia, posita retractatione, impedimentum non est amplius voluntariũ, sed necessarium saltem ex suppositione. Puteobonellus de Pœnit. q. 6. art. 5. Unde sicuti quoad infirmos, aliosque labo-

rantes

rantes impedimento necessario quoad unum, vel plura opera exequanda, potest Confessarius intra tempus Jubilæi hujusmodi opera in aliud commutare, vel, si id melius judicet, eorundem executionẽ in aliud tempus prorogare; ita idem dicendum in isto casu. Bonacina, Bossius, & alii cũ Puteobonello. l. c. Et hic nota, facta hac prorogatione ad terminandum judicium Sacramentale, posse Pœnitentem à Confessario absolvi etiam a reservatis commissis tempore intermedio, etiã per plures vices, dummodo tempus a Confessario præscriptum pro omnibus operibus exequendis, aut pro terminanda Confessione, lapsum non fuerit; Idem Puteob, ibid. n. 17.

MENSE JUNII.

CAS. I. *DEfuncto Patrefamilias cum pluribus debitis, quæ contraxit partim ex contractibus licitis, partim ex usurariis, filius hæres certior factus, paternam hæreditatẽ non sufficere pro adæquata solutione eorumdem, petit a Confessario, an prius teneatur solvere debita ex contractibus usurariis, quam ex licitis. Attenditur Confessarii responsum.*

Responsum Confessarii est, non adesse hanc obligationem, si bona, uti supponitur sint tantum personaliter obligata.

Ratio

Ratio eſt, quia ex una parte iſthæc obligatio non evincitur ex jure, cum in eo quoad hoc nihil ſtatutum ſit; ex alia tota obligatio ſolvendi in debitore provenit a lege juſtitiæ commutativæ reſpicientis œqualitatē rei ad rem, ac præcipientis, ut cuique reddatur, quod ſuum eſt; quidquid poſtea ſit, quod ab aliquo acceptum fuerit licite, & abſque illius injuria; ab alio illicite, & cum ejus injuria; cujus ſatisfactionem curare pertinet ad aliam ſpeciem juſtitiæ, nempe ad juſtitiam vindicativam. Cum ergo quilibet ex Creditoribus jus habeat ad rem ſibi debitam ex reſpectivo contractu, ideo ne alicui damnum inferatur, ſolutio in caſu ſingulis Creditoribus ad ratam facienda eſt, ſcilicet, ſervata ea proportione, quæ eſt inter ipſa Credita; adeo ut cui plus debetur, detur proportionabiliter plus; minus, cui minus. Ita Bonacina, Sporer, aliique plures, addentes eam regulam juris: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, valere quidem inter Creditores habentes eamdem rem ſibi hypothecatam, aut ex pacto obligatam, non autem inter Creditores mere perſonales.

CAS. II. *Materfamilias multoties Viro clam ſurripit pecuniam, aut rem domeſticam vendit, ut, quæ Familiæ neceſſaria ſunt, provideat. Q. An peccat.* Reſp.

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel Materfamilias id facit, quia Maritus ſæpius monitus de occurentibus indigentiis non vult ipſe neceſſaria providere; & tunc dico, eam nullo modo peccare expendendo præciſe quantum ſufficit, etiam cum alienatione prudenti, ac diſcreta bonorū communium: nam ex una parte, renuente Marito domum regere, Uxor licite ſuſcipit ejus adminiſtrationem; ex alia Maritus in caſu non poteſt eſſe quoad hoc niſi irrationabiliter invitus. Vel id facit, quia in occurentia circumſtantiarū non vult ad Maritum recurrere, & ab ipſo dependere; & tunc dico, illam peccare, tum quia ſibi uſurpat jus competens Viro, cui quoad hoc debet ſe ſubdere; tum quia ſive ille modus clandeſtinus, ſive illa diſpotica frequentia, præcipue in alienandis rebus domeſticis, ſolet diſplicere, & quidem rationabiliter, Viro non renuenti neceſſaria providere, quando monetur; ut tradunt Doctores communiter. Neque dicas Uxorem non teneri ad inſtar ancillæ ſemper petere a Marito licentiam expendendi, imo hanc eſſe juſtam cauſam non petendi, *Nolle ſe ut Ancillam oſtendere*, ut cum aliis inquit Gobat apud La Croix de Furto n. 1023. Contra enim, id quidem verum eſt, quando agitur de

expenſis

expensis, aliisque dispositionibus tam quo ad rem, quam quoad modum Viro non displicentibus, & quas ille certo & facile concederet, si rogaretur, ut recte ajunt Auctores citati; non sic autem, quando agitur de dispositionibus Viro displicentibus vel quoad rem, vel quoad modum; & a fortiori quando ei displicent quoad utrumque, ut solent evenire in casu magnæ frequentiæ in clam expendendo, vel alienando.

CAS. III. *Lælius bona fide emit Equum: post modicum vero tempus incipit dubitare, an furto fuerit ablatus; at metuens tum Equi, cum pecuniæ amissionem, si furtivus appareat, omnem omittit diligentiam inquirendæ veritatis, adeo ut tandem fiat impossibile hanc amplius dignoscere. Q. An per hoc teneatur aliquid restituere.*

Respondeo negative: illi enim imponenda non est certa obligatio restitutionis, de quo certo non constat, quod effective læserit justitiam commutativã. Jam vero Lælium effective in casu læsisse &c. certo non constat; nam in primis incertũ est, an, si omissam adhibuisset debitam diligentiam, invenisset veritatem; quoties enim veritas, etiã diligenter quæsita non invenitur? Deinde etiam dato, quod eam

R invenisset

invenisset, cuinam certo constat, quod Equus eo tunc potius apparuisset furtivus, quam legitime venditus? Nulli sane. Igitur, stante adhuc dubio, Lælius obligandus non est ad restitutioné certam; præcipue cum in dubio præsumptio stet pro innocentia venditoris non cogniti, alias mali in genere furti, & actualis Equi possessio bona fide a Lælio incepta hunc potiorem reddat, meliorisque conditionis, ut cum Glossa in cap. *Nulli dubium* 12. q. 5. passim monent Doctores. Neque dicas, læsam certo fuisse a Lælio justitiā commutativā eo, quod sua omissione cassam reddiderit illam spem, quam forte alter habebat, quod, posita veritatis inquisitione, agnosceretur Dominus Equi; quæ spes, cum esset pretio æstimabilis, refundit onus in Lælium restituendi tantumdem, quanti prudentum judicio spes, ista valebat: item, suborto dubio, Læliū evasisse possessorem malæ fidei. Ne dicas, inquam: spes enim, quam forte alter habebat, utpote incerta quoad esse sive præsens, sive præteritum, nihili facienda est adversus actualem possessorem certū. Et Lælius, suborto dubio, non evasit possessor malæ fidei, nisi secundum quid, in quantū nempe eo tunc tenebatur inquirere veritatem, quatenus teneretur Equū, aut ejus partiale pretium restituere. Vide Bonac.

de Bonac. de Restit. disp. 1. q.2. p.2. n.8.

MENSE JULII.

CAS. I. *TErentius pecunia indigens accipit in Censum a Cajo Scuta trecenta, cum onere illi solvendi quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, imo & sortem restituendi elapso quinquennio. Non post multum temporis illi arridente fortuna, ludendo aleis, totidem vincit Viro Nobili, ac Diviti; propterea prima Scuta trecenta dat alteri cum onere solvendi quatuor tantum pro quovis centenario. Q. An uterque Contractus sit licitus.*

Respondeo ad primum cum distinctione: Vel onus restituendi sortem elapso quinquennio est Terentio impositum a Censualista, aut ex pacto cum ipso; & tunc dico, Contractum esse illicitum, cum hujusmodi onera, & pacta, restringentia in Censuario facultatem libere disponendi de re censita, absolute prohibeantur a S. Pio V. Constit. 80. *Cum onus*, reddantque Censualistam valde suspectum de voluntate potius mutuandi cum lucro, quam emendi Censum, ut inter alios notant Cencius, & Duardus. Vel ipsemet Censuarius sponte sua, nulloque quoad hoc cum ipso paciscente sed hoc obligavit; & tunc dico, Contractum non videri illicitum, cum neque in præfata,

neque in alia Conſtitutione Pontificia, neque in Jure id vetitum inveniatur. Addo, hujus Contractum Conſtitutioni Pianæ non adverſari, & eſſe adhuc licitum, quamvis Cenſuarius prædicto modo paciſcatur cum eo, qui pro ipſo in tali venditione fide jubet, cum ibi ſolum prohibeantur pacta inter Cenſuarium, & Cenſualiſtam, ſeu eorum nomine Agentem, ut tradit Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 19. n. 16. quem ſequitur Cencius de Cenſib. part. 2. c. 1. q. 3. art. 8. in fine. Cur ergo licitus dicendus non erit Contractus, ſi Cenſuarius propria ſponte, & ſecluſo quocumque pacto ad id ſe obliget? =Quoad ſecundum reſpondeo pariter cum diſtinctione: Vel Terentius alteri dando prima Scuta 300. revendit priorem Cenſum, vel novum inſtituit. Si primum; dico, quod ſtando vigori prædictæ Conſtitutionis, Contractus eſt illicitus, etiamſi prior Cenſualiſta rite præmonitus, & per menſem expectatus, emere noluerit; nam Cenſus non revenditur eodem pretio, quo fuerat emptus, ut ibi præſcribitur. Si ſecundum, cenſeo, Contractum licitum eſſe; nam quod in fundatione talis Cenſus alteri tradatur eadem numero pecunia, ab alio prius accepta, de materiali ſe habet, nec penſio ſolvenda in caſu videtur infra latitudinem juſti pretii.

CAS. II. *Mercator mutuatarius Pauli in summa Scutorum mille prævidet, quod si post annum ad manus habebit saltē Scuta 500, ipsi offeretur occasio faciendi negotium valde lucrosum. Eapropter, ne elapso anno, qui est terminus præfixus restitutioni, cogatur a Creditore integre satisfacere, init cum eo pactum ipsi solvendi nunc Scuta quingenta, dummodo pro restitutione alterius portionis ipsi concedat tempus biennii. Q. An tale pactum sit usurarium.*

Respondeo, videri probabilius, quod non, si interveniat hinc inde æquale gravamen; nam tale pactum in substantia nihil aliud habet pro objecto, quam assumptionem obligationis mutui cum remutuo de præsenti; & facit hunc sensum: Mutua mihi ex his 1000. Scutis Scuta quingenta ad biennium, & ego statim tibi remutuo alia 500. In quo non contineri usuram, in primis aperte colligitur ex S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. ubi postquam dixit repugnare mutuo obligationem ad mutuum faciendum in posterum, subdit: *Licet tamen simul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere.* Deinde cum respectivū gravamen alteri mutuandi non imponatur pro ipso mutuo formaliter, quod datur vicissim, sed pro illa obligatione, quam voluntarie quis suscipit in ordine ad alteri

mutu-

mutuandum; non video, cur in hoc adstruatur usura, siquidem præsupposita æqualitate commutationis, ac respectivi gravaminis, tantum recipiunt, quantum datur, & dum hic gravat alterum, iste ad lancam justitiæ æquali pondere ab illo gravatur. Neque dicas, de ratione mutui esse ut gratis detur; quod amplius non verificatur supposito respectivo gravamine. Contra enim, in primis non quælibet impositio gravaminis, ultra sortẽ est contra naturam, & justitiam mutui, alias obligari non posset mutuatarius ad dandum pignus in securitatem sortis. Deinde nego suppositum; cum enim gravamen non imponatur prò ipso mutuo, uti supponitur in objectione, sed pro obligatione &c. adhuc mutuum in casu gratis datur. Vide Rosig. de Mut. & Usur. præn. 10. La Croix de Usur. n. 891.

CAS. III. *Valerianus mutuavit Livio Scuta 25. ad annum; cum pacto quod si eo anno elapso promptus non sit ad ea restituenda, ob moram solutionis ei solvere tenetur unum Scutum ultra 25. mutuata, idque sive ipse Valerianus habeat, sive non habeat occasionem hæc impendendi, seu negotiandi post annum. Q. An hæc obligatio ei licite imponatur.*

Respondeo

Reſpondeo affirmative, dummodo imponatur ex mutuo conſensu contrahentiū & ob moram culpabilem. Ratio eſt, quia Mutuatarius exiſtens in culpabili mora circa reſtitutionem ſortis, peccat contra juſtitiam ob dilatam ſolutionem, ideoque dignus eſt pœna, ſuæ culpæ proportionata, quæ propterea ei apponi poteſt ex conventione partium, ſtatuendo ſcilicet, quod ſi reſtitutionis tempore culpabiliter non reſtituat, talem pœnam luat; ſic enim ipſi non apponitur obligatio indebita, ut cum Scoto, Navarro, & aliis tradit Leſſius lib. 2. de Juſt. & Jure c. 20. dub. 15. Quare cum unius Scuti ſolutio ſit in caſu pœna proportionata Livio, culpabiliter non reſtituendi poſt annum Scuta 25. mutuata, dicendum &c.

MENSE AUGUSTI

CAS. I. *MUliercula ſæpe male tractata a Marito, ad levandum animi mœrorem, ſolet aliis Mulierculis referre defectus proprii Mariti. Q. An quoties id facit, ſolum venialiter peccet,*

Reſpondeo cum diſtinctione: Vel refert defectus leves, & parum infamatorios; vel graves, & multum infamatorios. Item, vel eos refert pluribus, quam par ſit ad levandum animi mœrorem; vel uni aut al-

teri

teri tantum, prout ſufficit ad iſtud levamen capiendum. Si refert defectus leves, & parum infamatorios, dico, quod etiamſi eos referat pluribus, quam par ſit ad &c. peccat ſolum venialiter, quoties id facit ſecluſo animo graviter lædendi famam Mariti, vel alias graviter peccaminoſo; tunc enim vel nullum, vel tantum leve damnum Marito cauſat. Si vero refert defectus graves, & notabiliter infamatorios, dico, eam quidem peccare mortaliter, quoties cum plena mali advertentia eos refert pluribus, quam par ſit ad levandum animi mœrorē, aut eos refert alicui, quam novit eos aliis manifeſtaturam; non ſic vero quando eos refert uni, vel alteri tantum, quæ eos aliis non patefaciet. Ratio primæ partis eſt, quia cum in eo caſu Muliercula opus non habeat referendi defectus Mariti omnibus iis perſonis, aut illi perſonæ determinatæ, quæ tuba canet; eo ipſo quod vult his eos referre, velle ſimul cenſetur gravem Mariti infamiam inde ſequentem apud tot perſonas; hic enim valet illa regula juris: *Qui vult antecedens, vult etiam conſequens* cum unum prævideatur infallibiliter ſecuturum ad aliud. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ex relatione defectuum Mariti, facta uni, vel alteri, quæ eos aliis nō manifeſtabit, vel non ſequitur infamatio ejusdem, cum

prudens

prudens talia audiens potius attendat ad præstandum levamen referenti ſuam afflictionem, quam ad infamationem, vel ſi ſequitur infamatio, etiam gravis, ſequitur ex juſto motivo quærendi levamen injuſtæ afflictioni; cum ſit nimis durum tempore injuſtæ afflictionis nulli poſſe hanc manifeſtare ad ſe aliquantulum ſublevandum. Bonacina, Sporer. &c.

CAS. II. *Fabritius famulus cujuſdam Matronæ quosdam defectus graves morales ejusdem refert Viro prudēti ac Nobili, qui eos aliis non manifeſtabit. Q. An hujusmodi relatio careat culpa mortali.*

Reſpondeo, hujusmodi relationem carere culpa mortali, ſi fiat ex juſto ac rationabili motivo; non carere vero, ſi ſecus. Ratio primæ partis eſt, quia juſtum, ac rationabile motivum poteſt illam cohoneſtare: ſic ſi Vir nobilis proclivis ſit ad eam ducendam, ideoque de tali Matrona à Fabritio petat informationem, certe hic non peccat mortaliter, ſi aſſumpto ſibi munere ipſum informandi referat defectus graves, & ſubſtantiales Matronæ: imo id facere tenetur ob bonum ipſius Viri, cui recte debet conſulere, ne decipiatur, ut inter alios tradit Viva q. 7. de Reſ. art, 2. n. 6. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſecluſo quocumque juſto, & rationabili

motivo

motivo hujusmodi defectus referendi, talis relatio est vera detractio in re gravi, famam Matronæ corrumpens, non quidē omnimoda, seu apud plures, prout quidam volunt requiri ad hoc, ut illa proprie dicatur infamis, sed aliquo modo, & apud talem virum ut aperte tradit S. Thomas 2. 2. q. 73. ar. 1. ad 2. ubi hæc habet: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, sed in parte.* Additur, infamationem reputari gravem, vel levem, conformiter ad qualitatem indignationis gravis, aut levis, quam persona infamata, de ea certior facta, conciperet. Atqui si Matrona sciret in casu se fuisse a Fabritio dicta relatione infamatam apud Virum Nobilē, de quo agitur, de ista infamatione gravē indignationem conciperet, & forte graviorem, quam si infamata fuisset apud plures Plebejos, cū fama, vel infamia apud istos minoris soleat æstimari, quam apud virum gravem, ac nobilem, ergo &c. per consequens dicta relatio in hoc secundo casu non caret culpa mortali. Ita Doctores communius.

CAS. III. *Pœnitens exponit in Confessione, se data opera audivisse detrahentem. Q. Quomodo hic sit interrogandus a Confessario.*

Respondeo

Respondeo, hujusmodi Pœnitentem in primis interrogandum esse, an ab eo audita detractio fuerit de re levi, aut notoria, vel facta fuerit ex justo motivo; an vero fuerit de re gravi, ac occulta, & facta sine justo motivo. Si fuit de re levi, patet, opus non esse, ut fiant Pœnitenti tot interrogationes, sufficit enim ab eo ulterius inquirere, an audierit detrahentem animo aliunde mortaliter peccaminoso, puta, cum desiderio, quod detrahens famam Personæ detractæ notabilter læderet; si enim respondeat, se eo tunc habuisse talem animum, statim constat, eum graviter peccasse, & in qua specie; si nō habuisset, nulla est necessitas, quod Confessarius super hoc eum amplius interroget, cum jam constet, ipsum peccasse tantum venaliter. Quid simile dic, si exponat, detractionem fuisse de re notoria, vel eam factam fuisse ex justo motivo; tunc enim audire, & non impedire detrahentem, non est peccatum, saltem grave, ut inter alios cum Bonacina notat Sporet in 8. præc. Decal. c. 4. sect. 4. n. 108. Si postea Pœnitens dicat, detractionem ab ipso auditam fuisse in materia gravi, de re occulta, eamdemque factam fuisse sine justo motivo; tunc ulterius ab eo inquirendum, an detrahentē

audiverit

audiverit ſolus cum ſolo, vel coram aliis. Si primum; ab eo petendum, an ipſe illum excitaverit ad detrahendum, aut ejus dicta approbando, illi plaudendo &c. fuerit cauſa, quod is continuaverit, vel auxerit detractionem; ſic enim peccaſſet contra Charitatem, & contra Juſtitiam, uti detractor, & ulterius commiſiſſet aliud peccatum contra Caritatem, ob ſcandalũ huic datum. Item inveſtigandum, quo animo ipſum audiverit; an nempe ex cõplacentia de dammo proximi, quod eſt odium; an ex mera curioſitate ſciendi alterius crimina, quod communiter dicitur veniale, ſed a Gavello mortale, eo quia iſta curioſa cognitio eſt famæ proximi diminutio; an denique ex puro fine capiendi ſolatium ex dictis, & artificio detrahentis, quod veniale communiter reputatur. Si ſecundum: faciendæ illi ſunt eædem interrogationes mox adductæ; & ſi poſitive, aut negative influxit in detractionem, advertendo ad ſingulos adſtantes, ultra duplex peccatum contra Charitatem, ob violatam dilectionem proximi & ſcandalum, reus etiam eſt injuſtitiæ obligantis ipſum in ſolidum cum detractore, vel ſaltem in hujus defectu, ſeu ommiſſione ad reſtituendam famam perſonæ infamatæ penes ſingulos. Et unumquodque

quodque ex his peccatis tot malitias complectitur, quot vel in ipso, vel in aliis in casu distingui possunt violationes justitiæ, & charitatis, cum omnium sit auctor, vel particeps. Ita comm. quo ad substãtiam.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *CAmillus non habens animum permanendi in statu Clericali, sed solum deferendi hujusmodi habitum quousque inveniat Uxorem cum pingui Dote, sumit Clericalem Tonsuram, ut interim cujusdam Beneficii fructibus perfrui possit.* Q. *An sit reus peccati mortalis tum ob receptionem Tonsuræ, cum ob acceptionem Beneficii.*

CAS. II. *An Beneficium retinendo cum dicto animo, peccet.*

CAS. III. *An teneatur ad restitutionem fructuum, durante eodem animo, ex Beneficio perceptorum.*

Respondeo ad primum affirmative, si ea sola intentione, ac fine Tonsuram recipiat, ac Beneficium acceptet, nullo modo hæc alias suscepturus. Ratio est, quia sic non solum decipit Christum, & Ecclesiam, frustratque finem ab hac intentũ in collatione Tonsuræ, qui est, disponere ad Ordines, ut, his postea susceptis, conficiatur Eucharistia, verum etiam rem

spiritualem

ſpiritualem, uti eſt Tonſura, ac beneficiū, ultimo ordinat ad rem temporalem, ſcilicet ad perceptionē fructuū ac vile lucrum, quod ex objecto ſuo mortale eſt, utpote involvens majorem æſtimationem temporalium quam ſpiritualium. Hinc Catechiſmus Romanus de Sacram. Ord. ait: *Quæſtus ac lucri cauſa ad Altare accedere, maximum eſt ſacrilegium*, & S. Bonaventura tract. de præp. ad Miſſ. cap. 9. *Væ væ, Domine Deus, quanti homines infelices ad Sacros Ordines accedunt, & Divina Myſteria accipiunt, non cæleſtem panē, ſed terrenum quærentes; non ſpiritum, ſed lucrum &c.* Ubi notandū illud repetitū *Væ*, denotans ſceleris gravitatē. Vide Roſignol. de Ord. part. 1. quæſt. 3. art. 4. Leſſium de Benef. cap. 34. dub. 26. num 123. Si tamen pro fine ultimo ſibi aliquo modo præfiguret Deū ipſū, tunc graviter non peccaret, ut probat Navarrus in Enchirid. de Orat. cap. 22. num. 12. & miſcel. 41. Ex his patet reſponſio ad ſecundū Caſū; retentio enim eſt quædā continuata receptio. Ad tertium, dico, probabilius non teneri, ſi faciat, quod ſua intereſt tempore Clericatus; nam ex una parte in dicta receptione, & acceptatione proprie non intervenit Simonia, cum non adſit contractio rei ſpiritualis pro temporali, ſed ſola intentio commodi temporalis per medium ſpirituale;

rituale; quod est quid diversum a Simonia, ut notat Suarez de Simonia lib. 4. c. 44. num. 4. & 11. ex alia nullũ adest jus obligans in casu ad restitutionem: cũ lex Cap. *Commissæ* de Elect. vers. *Cæterum* in 6. sit restricta ad Beneficium curatum.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *FActo Edicto a Judice, quod omnes, qui asportant Uvas, ultra refectionem damni, teneantur solvere Fisco duos Aureos. Cajus stipendio conductus ad custodiendas Vineas, etiamsi, videat aliquos Uvas asportare, tacet, eo quod ab iis munera accipiat. Q. Ad quid teneatur Cajus in foro Conscientiæ.*

Respondeo. Cajũ teneri restituere stipendia, & resarcire damna ab asportantibus illata, si hi ea non reficiant. Ratio est, quia prima injuste accepit, utpote data ob conventam custodiam, quam non exercuit; secunda causavit, non impediendo, aut denunciando asportantes, prout tenebatur ex officio. Nonnulli ipsum obligant etiam ad solvendos aureos Fisco ob omissionem harum denunciationũ. Alii tamen communius ab hoc onere ipsum excusant, quia super has mulctas nullum jus quæsitum est Fisco ante sententiam Judicis, quæ proinde quomodocumque

cumque impedita, ad nihil tenetur Cajus, præcipue cum ejus officium directe non esset Fiscum mulctis ditare, sed vinearum Dominos per custodiam indemnes servare. Bonacina, Sporer, aliique, ipsum eximentes etiam a restitutione munerum, quæ accepit a transportantibus uvas, licet enim peccaverit contra justitiam, transportationē permittendo, ideoque teneatur, ut diximus, reficere damna inde orta; non peccavit tamen contra justitiam, munera accipendo, cum hæc ipsi data fuerint in recompensatione favoris pretio æstimabilis quē fecit transportantibus Sporrer tract. 5. in 7. & 10. præc. Dec. c. 5. sect. 5. n. 138.

CAS. II. *Pœnitens occasione Plenariæ Indulgentiæ, dolet quidē de omnibus peccatis mortalibus, eaque fatetur, ad venialia tamen ne quidem animadvertit. Q. An hic, cætera requisita apponendo, lucretur Plenariam Indulgentiam.*

Respondeo, lucrari, si in ipsa positione ultimi operis omnia etiam venialia deleta sint, per virtualem extensionem doloris ad ipsa, seu per absolutionem, vel per aliquod aliud remedium: non lucrari vero, si secus. Ratio est, quia ut reportetur totalis remissio pœnæ debet intervenire totalis remissio culpæ, cui talis pæna correspōdet; remanēte enim culpa,

non

nō remittitur pœna, ut ex Augustino inquit Glossa in extravag. Antiquorum de pœnit. & remiss. Neque dicas, culpam venialem deleri per ipsam Indulgentiam; vel ab Ecclesia hanc iis concedi, qui se de iis culpis accusavere, quorum Confessio cadit sub præcepto, uti non sunt venialia. Contra enim, cum Indulgentia sit solum instituta ad relaxationem pænæ, ab ea saltem directe non remittitur culpa ut probant Suarez, Viva, & Bossius, cæterique comm. Et Ecclesia Plenariam Indulgentiam exhibens, hanc solum iis concedit, qui ad eam se rite disponunt per totalem expiationem a culpa, ut colligitur ex supra dictis. Cæterum quia accedentes ad Sacramenta raro, vel nunquum præcise dolent de peccatis mortalibus, sed communiter intervenit dolor de offensa Dei in communi, in quo includitur detestatio venialium in genere, ut ait Cajetanus in 3. part. q. 37. ar. 2. circa finem, ideo valde probabile est, quod noster Pœnitens in casu lucretur Plenariam Indulgentiam.

CAS. III. *Commodatarius dubitans, an Equus per furtum fuerit ablatus ob suam incuriam, petit a Confessario, an ipse teneatur solvere Domino pretium Equi. Quid illi respondendum?*

Respondendum, quod si ipse Commodatarius non est certus de incuria a se habita in Equo custodiendo, & quod propterea fur abstulerit Equum, non teneatur in foro Conscientiæ solvere Domino pretium Equi, neque ullam partẽ ejusdem. Ratio est, quia quando certo non constat de culpa, stat in possessione innocentia; nec quis tenetur ad restitutionem certam ob purum dubium de damno illato: ut supra dictum est ad tertium Junii.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *PEtronius conscius, quod Vitalis ægre fert, ac magno rubore suffunditur, quoties proferuntur, eo præsente, quædam verba irrisoria ejusdem, quantumvis levia, in hujusmodi verba sæpè prorumpit ad illius præsentiam.* Q. *An peccet mortaliter.*

Resp. affirmative, & quidem toties, quoties id deliberate præstat. Ratio est, quia licet ea verba irrisoria in se sint levia, tamen ut a Vitali valde apprehensa, & ut sufficientia ad notabiliter perturbandum Vitalis animum, eique causandum magnum ruborem, sunt gravia contra Charitatem, ut cum S. Thoma frequenter tradunt Doctores, propterea dicentes ad efformandum judicium rectum

de

de gravitate, aut levitate irrisionis, non solum attendi debere ad dictum, vel factum, quo proximus irridetur, verum etiam ad qualitatem contristationis, ac erubescentiæ, qua per tale dictum, vel factum causatur, an nempe hæc gravis sit, aut levis, sicuti enim fieri potest in alio genere, quod dictum, vel factum in se leve, evadat grave ratione circumstantiæ adjunctæ, v. gr. scandali, vel alterius gravis damni a tali dicto, vel facto causati; ita pariter fieri potest, ut verbum irrisorium in se leve, evadat grave ratione notabilis perturbationis, ac gravis erubescentiæ ab eodem causatæ. Quare cum verba irrisoria a Petronio in casu prolata gravem Vitali causent contristationem, & erubescentiam, dicendum &c. ita Sporer, aliique comm.

CAS. II. *Agricola occasione nundinarum bona fide emit Bovem à Fure, emptumque paulo post pecunia indigens revendidit Sempronio, lucrando in tali revenditione quatuor Scuta. Peracta revenditione, audit, Bovem revenditum fuisse per furtum ablatum à Cajo ab illo eodem, à quo ipse illum emerat. Q. Utrum Agricola teneatur ad aliquid.*

Respondeo cum distinctione: Vel Agricola cum emit Bovem a Fure, illum e-

mit minori pretio, quam intrinſece valeret (Fures enim pluries vendunt res ablatas minoris quam valeant;) & tunc dico, quod ſi illa quatuor Scuta integrāt juſtum pretium Bovis, tenetur hæc tradere Cajo, detractis expenſis; non ſunt enim fructus induſtriæ, ſed pars pretii, & valoris intrinſeci ipſius Bovis. Vel illum emit à Fure pretio juſto: & tunc dico, Agricolam ad nihil teneri; illa enim quatuor Scuta non ſunt fructus Bovis, neque pars pretii, ſeu valoris intrinſeci ejuſdē, ſed fructus induſtriæ. Vel denique una portio; puta, duo ex his quatuor Scutis requirebantur ad integrandum juſtum pretium Bovis; & tunc dico, Agricolā poſſe ſibi duo retinere ut fructum induſtriæ, alia vero, detractis expenſis, fore Cajo tradenda. Vide Giribaldum de Reſtit. c. 2. dub. 1. num. 6.

CAS. III. *Puella gravibus ſubjecta venereis cogitationibus, neque illis conſentit, neque ſollicite curat illas repellere.* Q. *An ſit rea alicujus peccati.*

Reſp. Fieri utique poſſe, quod Puella ita ſe gerens excuſatur ab omni peccato, ſi nempe non ſubſit ulli periculo conſenſus & delectationis, tunc enim eſt mere patiens haſce tentationes & præceptum præciſe eſt de iis non præſtando conſenſu, & de

de non percipiendo ex iis voluntario oblectamento. Quoniam vero in praxi sero vel ocius periculum consensus, aut delectationis regulariter intervenit, quãdo quis sollicite non curat venereas cogitationes repellere, *Diabolus enim serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni, non resistitur, totus intimæ cordis, dum non sentitur, illabitur,* ut ait Isidorus lib. 3. de sum. bon. t. 3. ideo censeo, Puellam frequenter, vel diu ita se gerentem, non excusari ab omni peccato; est enim nimium sibi fidere, parum curare de extinctione scintillæ prosilientis in stuppam, & hoc non obstante, prætendere, quod Deus evitet incendium. Vide Dianam part. 2. tract. 17. res. 33.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *LAertius furatus est triticum coram Francisco, qui ejusdem malo ductus exemplo, pariter furatus est Oleum. Q. An, non restituente Francisco, teneatur Laertius utrumque damnum reficire.*

Resp. Negative: eo quia neque fuit causa physica, neque moralis ablationis Olei, cum, sicuti supponitur, neque jusserit, neque consuluerit, neque laudaverit Francisco hujusmodi furtum, nec ullo alio actu positivo in illud influxerit, aut

ratione officii teneretur ipsum impedire. Igitur debet quidem restituere triticum à se ablatum, vel pretium ejusdem, ac se in Confessione accusare de scandalo alteri dato; at non tenetur ipse utrumque damnum reficere. Ita DD. comm.

CAS. II. *Subdiaconus certior factus de absentia Viri, noctu accessit ad illius Uxorem. At vir ex improviso adveniens, deprehendensque Uxorem in sacrilego Adulterio, hanc occidit, interim fugiente Subdiacono. Q. An hic sit irregularis.*

Resp. Negative: quamvis enim rei illicitæ operam daret, tamen non fuit causa proxima mortis; quam uxori Maritus intulit; nec ejus furtiva libido erat ordinata ad cædem, quæ omnino ex accidenti subsecuta est, ut in simili casu respondit *S.* Congregatio Concilii die 13. Julii año 1610. apud Fagnanum in cap. *de cætero* ext. de Homicid. & fere in terminis Natalis Alexander tom. 1. Epist. 17. ubi addit, quod si Subdiaconi Adulterium notũ fiat, ad altiores Ordines non est admittendus, ob infamiam criminis, & scandalum.

CAS. III. *Brutus contractis sponsalibus cum Cassia sub hac conditione,* dummodo Papa dispenset ab impedimento dirimente, *pendente adhuc conditione, invenit pu*
ellam

ellam Cassia pulchriorem, ditioremque, cum qua propterea, prima relicta, init Matrimonium. Q. An id faciendo peccet.

Resp. Brutum probabilius peccare, si nondum elapso discreto tempore, cum alia contraxit. Ratio est, quia cum illa conditio apposita esset honesta, ac de jure possibilis, utpote quia Pontifex non solũ potest, verum etiam solet in supposito, aliisque impedimentis consimilibus dispẽsare, Cassia per Sponsalia sub ea conditione cum ipso inita, acquisivit jus, quod Brutus per aliquod discretum tempus expectaret appositæ conditionis purificationem, eaque impleta & purificata, cum ipsa per promissum matrimonium copularetur. Nec obstat, quod illius purificatio penderet à voluntate Principis, nã solum eo tunc id, quod dependet à volũtate Principis, reputatur impossibile, quando Princeps non solet in eo dispensare, secus vero si soleat, ut ex l. apud Julianum §. *constat* ff. de legat. 1. recte notat Resignolus de sponsalibus præ. 1. n. 10.

ANNO MDCCL.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *SAcerdos hujus Diœcesis Romæ degens, sub initio proxime elapsi Decembris, obtinuit hoc Indulgentiarum rescriptum:*

rescriptum: Sanctissimus annuit usque ad tertium gradum, ac centum in articulo mortis, & quinquaginta D. Birgittæ. *Nunc reversus in Patriam, non intelligens ly* usque ad tertium gradum, *petit à Parocho significationem talium verborum, & an Indulgentiæ tum in articulo mortis, cum D. Birgittæ suspensæ sint hoc anno Sancto. Quid respondendum?*

Respondendum primo ly *usque ad tertium gradum* significare concessionem Plenariæ Indulgentiæ in articulo mortis immediate factam à Summo Pontifice tum ipsi Sacerdoti supplicanti, cum omnibus ejus consanguineis usque ad talem gradum inclusive; siquidem talis clausula non est restrictiva, sed extensiva, & ampleativa. Affines tamen in praxi sub tali clausula comprehensi non intelliguntur, ni in libello etiam pro eis fuerit specifice supplicatum: alias postea 150. indulgentias potest Sacerdos pro libito suo distribuere, quibus maluerit, dummodo sint fideles. Respondendum secundo, Indulgentias in articulo mortis hoc anno Sancto non esse suspensas; illas vero D. Birgittæ suspensas esse pro vivis, sed lucrari posse pro Defunctis, ut clare constat ex Brevi *Cum nos nuper* Sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV. Romæ edito 17. Maji 1749.

CAS.

CAS. II. *Famulus Villici Virginem credens filiam ejusdem, promissione eam postea ducendi, ab ipsa copulam obtinuit. At noscens, jam ab alio eam fuisse corruptam, mutavit sententiam, id tamen ei non manifestando; quinimo etiam post talem notitiam propensionem erga ipsam ostendens, aliis vicibus eam cognovit. Q. An teneatur illam ducere?*

Resp. affirmative: Nam etiam dato, quod, cognito puellæ defectu, potuerit absolute mutare sententiam, & absque ulla obligatione resilire; quod tamen cum Lugo negat Giribaldus de Matr. cap. 1. dub. 2. n. 19. circa fin., si postea conscius sui juris, non præmonitam retractationis puellã ostensione propensionis denuo attraxit ad copulam, amplius resilire non potest. Et ratio est, quia cum ipsi innotesceret, puellam non nisi sub onere nuptiarum ipsi indulgere, si copulam sub tali tantum conditione concessam repetiit, & acceptavit, facto ipso pristinam obligationem ratificavit ratione intervenientis contractus onerosi: *Do ut facias.* Anacletus lib. 4. Decr. tit. 1. §. 4. n. 115. Addo, sic ipsum decepisse puellam apparenti continuatione in eodem proposito: quid enim vero præseferebat illa propensionis ostensio, subsequens ad pro-

missionem exterius non retractatam, nisi speciem perseverantiæ in priori deliberatione? Sicuti ergo qui apparenti promissione Matrimonii induxit puellam, etiam corruptam, ad copulam, supposita aliunde æquali conditione &c. tenetur in utroque foro illam positive ducere, ut cum communi firmat laudatus Auctor. l. c. ita qui apparenti continuatione in jā facta promissione induxit puellam ad novam copulam, pari modo tenetur &c. Vide Coninc. disp. 23. dub. 10.

CAS. III. *Sergius salutatus ab Excommunicato Excommunicatione majori, urbanitati causa, ei caput aperuit. Q. An peccaverit, & inciderit in Excommunicationem minorem.*

Resp. cum distinctione. Vel talis Excommunicatus erat toleratus; vel erat vitandus: Si primum; dico, Sergium ob id nullam Censuram, vel culpam incurrisse; nam post Constitut. *ad evitanda.* Fidelibus permissum est cum toleratis communicare etiam sine causa, ut in profanis, cum in sacris, licet hi nequeant sub pœna minoris Excommunicationis primi communicare cum fidelibus, nec absolute inter se, aut cum vitandis. La Croix de Excomm. n. 269. & seq. Si secundū; dico, Sergium peccasse venialiter, ac incidisse

cidisse in &c. ni ignorantia, inadvertentia, indeliberatio, aut necessitas ipsū excuset; nam illa apertio capitis, facta in eo casu, communiter reputatur honoris correspondentia, & actus duliæ civilis, vetitus sub tali pœna a Sacris Canonibꝰ, ac omnino tanquam indebitus vitandis; hic enim cum illicite salutasset, jus non habebat, ut resalutaretur, bene vero ut negligeretur tum in pænam criminis, cū ex charitate, ut nempe se neglectum videns, resipisceret. Nec refert, id non honoris, sed urbanitatis causa præstitum fuisse; nam cum actio de se fuerit exhibitoria cultus externi, ab actu exterioris observantiæ excusari non potest. Deinde urbanitas non est, sed perversitas, actio contra Sacros Canones. Quod si salutatio per verba clarius adinvenitur prohibita, hoc ideo est, quia verba sunt signa communicationis expressiora. Cæterum etiam nutus sunt hujusmodi, ideoque tā *Os*, quam *Vale* vitando negatur. Bonacina, Giribaldus, & alii.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *BErta advertens, Puellulum suum osculatum a Vetula cœpisse ægrotare, illico judicavit, ægritudinem parvuli processisse ex Vetulæ fascinatione, quam propterea denunciavit ut strigem Sanctissi-*

mæ Inquisitioni. Q. *Recte ne, an male se gesserit.*

Resp. Bertam male se gessisse, si aliud fundamentum non habebat; siquidem nec osculum Vetulæ de se, ut patet, nec ægritudo parvuli immediate subsequens, præbet motivum sufficiens ipsam habendi, & denunciandi ut strigem; cum talis ægritudo provenire potuerit ex aliqua interna mala affectione infantis, ut suadent tot inopiati, ac ex improviso advenientes morbi nedum puellulis, verum etiam viris vegetibus & robustis. Hinc, ni Bertam excuset simplicitas, aut quid simile, gravis culpæ ipsam incusat tum judicii temeritas in materia gravi, cum gravis læsio juris, quod habebat Vetula, ne ipsius fama denigraretur per illam denuntiationem absque indiciis sufficientibus. Addo, quod quamvis certo contigisset, puellulum fuisse infectum a Vetula, non per hoc statim ut strix hæc habenda erat, ac denuncianda; nam fieri potest, quod naturaliter, & sine Dæmonis concursu id eveniat, ut ex S. Thoma probat Azorius Inst. p. 1. lib. 9. c. 25. putidis enim Vetulæ quandoq; sunt plenæ humoribus, quorum effluvia erumpentia ex oculis, ore, naribus &c. apta sunt inficere corpora, præcipue mollia,

mollia, ac tenera: ſicut illa fœminæ mẽſtruatæ inficiunt ſpecula. Vide Land. tr. 9. de Vit. Rel. op. diſp. 4. q. 28.

CAS. II. *Titius creditor Livii quinquaginta Scutorum, audiens hunc e vivis ereptum cum tot debitis ſuo credito anterioribus, ut merito dubitari poſſit, an bona ab ipſo relicta futura ſint ſatis ad ſatisfaciendum omnibus Creditoribus, cum apud ſe retineat Mobilia Defuncti in valore adæquantia ſummam ſibi debitam, ea ſibi appropriat in Crediti compenſationem. Q. An licite.*

CAS. III. *Lata Excommunicatione contra detinentes bona Livii prædicti etiam ex motivo compenſationis, præfatus Titius metuens ſui Crediti amiſſionem, ſi Mobilia manifeſtet (neque enim habet teſtes, neque documentum ſufficiens ad iſtud comprobandum) reticet, retinetque Mobilia. Q. An incidat in Cenſuram.*

Reſpondeo ad primum, quamvis iſthæc Mobilia nulli ſint ſpecialiter obligata, in rigore non poteſt Titius ea ſibi licite appropriare, quouſque certo non conſtat, an bona a Defuncto relicta ſufficiant pro omnibus Creditoribus. Ratio eſt, quia cum ea non fuerint vere appoſita penes ipſum in pignus ſui Crediti, ipſe in rigore illa poſſidet nomine Debi-

toris

toris, ut cum Lugo recte notat La Croix de Furto n. 969. Propterea cum bona Debitoris, casu, quo non sufficiant pro omnibus, attento jure naturali debeant dividi inter Creditores ad ratam, ut ait Giribaldus de Restit. cap. 5. dub. 5. n. 50. ideo ne subsit periculo se compensandi cum re ad alios spectante; non potest statim ea sibi appropriare in compensationem sui Crediti: sed solum potest interim ea apud se retinere in assecurationem ratæ, quæ ad ipsum spectabit. Nec per hujusmodi retentionē incidit in Censuram; nam ex una parte impotentia se aliter indemnem servandi excusat hanc retentionem a peccato, sine quo non incurritur Censura; ex alia, Censura præsumitur lata contra detinentes ex prætextu compensationis injusto; non vero ex justo, ut in casu. Ex quo habes responsionem ad tertium. Vide Giribal. tr. cit. c. 6. dub. 4. n. 31. & Rosignol. de Restit. 3. præn. 12. n. 17. & seqq.

MENSE MARTII.

CAS. I. *ADvertit Agricola, Sororem suam fuisse ab Amasio fœtam; propterea actus in rabiem, calcibus, ac verberibus cum fœtu ipsam occidit, Amasius de hoc certior factus, lethale vulnus infligit Agricolæ, qui accurrenti Confessario*

fatetur

fatetur quidem occisionem Sororis, at reticet illius prægnantiam, fœtusque mortem, ne detegat crimen occisæ, communiter Virginis reputatæ. Q. An valida sit ista Confessio,

Respondeo Objective eam esse probabilius invalidam. Ratio est, quia eo ipso, quod poterat absque peccato manifestare etiam occisionem fœtus una cum illa sororis, jam id facere tenebatur, ut impleret divinũ præceptũ de integritate Confessionis. Atqui revera poterat in casu absque peccato manifestare etiam occisionem &c. nam, ut ait Angelicus 2. 2. q. 73. art. 2. manifestare viro prudenti & taciturno occultum crimen alterius, non ad finem ipsum infamandi, sed propter aliquod bonum, vel necessarium, non est peccatum; ergo id facere tenebatur; per consequens, si id non fecit, ejus Confessio, saltem objective, est invalida. Nec obstat, quod peccatum Agricolæ connexionem non haberet cum gravidantia Sororis, nã erat connexum cum fœtu occiso in ejus utero, quod sufficit, ut hanc quoque occisionem fateri deberet. Hinc D. Bernardus opusc. de for. hon. VI. inquit; *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcunque sit verum & manifestum, nisi in Confessione, & hoc, ubi non potes aliter*

mani-

manifeſtare peccatum tuum.

CAS. II. *Senex olim deditus Mollitiei cum intentione ad fæminas, expreſſit quidem in anteactis Confeſſionibus voluntarias pollutiones, ſed non expreſſit prava deſideria ipſas concomitantia.* Q. *An ad id advertens, denuo fateri debeat pollutiones una ſimul cum deſideriis talium & talium fæminarum.*

Reſpondeo cum diſt. Vel non expreſſit hæc deſideria culpabiliter; & tunc certum eſt, quod ſi tempore intermedio rite confeſſus non eſt, debet ad id advertens denuo fateri &c. nec non ſacrilegia, aliaque mortalia, vel omiſſa, vel ſacrilege expreſſa; nam hæc omnia ſunt materia neceſſaria *S*acramenti Pœnitentiæ, vel ea non expreſſit inculpabiliter: & tunc dico, neceſſe non eſſe denuo fateri pollutiones; ſed ſatis eſſe quantum ad hoc, ut fateatur illa prava deſideria cum debita expreſſione qualitatum ſui, cum fœminarum: licet enim pollutiones contemporaneæ fuerint hiſce deſideriis; tamen nec cum illæ cum his, neque hæc cum illis connexionem eſſentialem habebant, ſed utraque ex ſe importabant totum ſuum eſſe, & per ſe intelligibile, exprimibile ac ſubſiſtens, ideoque ſi pollutiones rite fuerunt expoſitæ, fuerunt quoque directe

abſolutæ;

ebſolutæ; ſicque exponenda remanent ſola deſideria talium & talium fœminarũ, ut peccata oblita. Giribaldus de Sacramento Pœnitentiæ cap. 11. dub. 1. & comm.

CAS. III. *Adoleſcens jocans cum Puellis, uni tandem frangit Virginale clauſtrum ſed cum ſeminatione ad extra; cum alia perficit actum cum ſeminatione ad intra; ſed dubius eſt, an hæc eſſet Virgo, vel corrupta. Q. An utrumque ſit verum ſturpum reſervationi obnoxium.*

Reſpondeo Primum tale non eſſe, bene vero ſecundum. Ratio primi eſt quia ſtuprum completum (quod ſolum intelligitur reſervatum, quoties illud non exprimitur) utpote ſpecies naturalis luxuriæ conſummatæ, perficitur per ſeminationem eodem actu factam intra clauſtrũ a primo penetrante. Quare ſi adoleſcens ibi non ſeminavit, non eſt per hoc reſervationi obnoxius. Ratio ſecundi eſt, quia qualitas, quæ naturaliter ineſt, in dubio adfuiſſe præſumitur, ni probetur oppoſitum. Jam vero Virginitas naturaliter ineſt puellæ, utpote quæ virgo naſcitur; ideoque eam in caſu, Virginem fuiſſe præſumendũ eſt. Panormitanus cap 1. de adult. n. 5. & comm. Hinc ſi Adoleſcens

lescens cum ea perfecit actum, &c. commisit stuprum reservationi obnoxium, cum hic etiam cum consentiente sit reservatum. Neque dicas, reservationem extendi non debere ad casus dubios; id enim verum est, quando non intervenit præsumptio pro dilecti admissi veritate hac tamen interveniente, si veritas ipsa non innotescit, etiam in foro conscientiæ standum est præsumptioni veritatis, ut firmat Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. num, 13. & 14. & sane ita sentiendū, nā secus Concubitores Virginum vix unquam incurrerent stupri reservationē, cum signa Virginitatis valde fallacia sint, & ea, quæ assignantur, Peritorū attestatione, perquā raro in eis inveniantur Mazzuchel. de cas. reser. disp. 4. cap. 23. q. 1. n. 17.

MENSE APRILIS

CAS. I. *Vitalis rogatus a fure, ut ei opem ferret in auferendis a telonio Mercatoris, domumque asportandis bis centum scutis, abnuit, latronemque corripuit, eo tamen instante, majoremque summam se ablaturum jactitante, nisi ei indulgeret, tandem adjuvit ipsum aufere & asportare Scuta ducenta, ne fur inferret Mercatori gravius damnum. Q. An Vitalis ob hoc sit culpæ arguendus.*

Resp. cum dist. Vel fur egebat Vitalis

lis auxilio ad Scuta 200. auferenda, & asportanda, vel non. Si primum; dico, Vitalé esse culpæ arguendũ, nã formaliter concurrit ad furtũ. Si secundũ dico eũ non esse culpæ arguendũ: nã ex una parte fecit, quantũ potuit, ut Furé a furto retraheret: ex alia cooperatus est furto solũ materialiter, imo & cũ rationabiliter præsumpto consensu Domini; cũ enim ré ejus utiliter gesserit, sic eũ liberando á damno graviori, vere aderat consensus Mercatoris interpretativus; nec proprio cooperatus est malo, sed liberationi a malo pejori, & minori malo. Neque dicas, me non posse cooperari mutilationi alicujus, ne occidatur, quamvis mutilatio sit minus malũ occisione; disparitas enim est, quia cũ homo non sit Dominus suorũ membrorũ, prudenter præsumi nequit illius consensus in sui mutilationé. Econtra cũ Mercator esset Dominus, ac libere potens disponere de tota illa summa, prudenter præsumi poterat illius consensus, quod Vitalis cooperaretur ablationi portionis, ne majori quantitaté privaretur, ut cum Diana recte inquit Sporer tr. 5. cap. 1. n. 62.

CAS. II. *Eidem Mercatori conquerenti, quod plura fecerit Credita, & modica affulgeat spes eadem exigendi, Titius, habens modum facile ad integre recuperandam pecuniam creditam, se offert ad illa*

omnia emenda, dummodo Mercator ipsi ea vendat pretio longe minori: quod brevi executioni mandatur. Q. An Titius ea licite emat.

Reſpondeo affirm. dummodo tantum pro eiſdem ſolvat, quantum in communi æſtimatione valet jus illa exigendi. Ratio eſt, quia juſtum pretium rei non deſumitur ab eo, quod res valuit venditori, neque a privata induſtria, ſcientia, favore, aut utilitate ementis, ſed a communi æſtimatione in talibus circumſtantiis. Cum ergo, ſuppoſita modica ſpe talia Credita exigendi (puta, quia litigioſa ſunt, aut Debitores potentes, & valde difficiles ad ſolvendum) hæc communiter æſtimentur pretio longe minori; ideo Titius licite &c. Excipe tamen caſu, quo Titius eſſet unus ex principalibus Debitoribus, id differret ſolvere, ut Debitum ſuum minoris redimeret: item ſi Credita eſſent in ſe facilis exactionis, & a ſolo Mercatore, utpote nimium pavido, apprehenderentur ut difficillime exigibilia, in hiſce enim caſibus non poſſet Titius &c. quia in communi æſtimatione non adeo parvi valerent: ita DD. comm.

CAS. III. *Uno ex duobus Confeſſariis affirmante, merces poſſe credito pluris vendi*

di, quam pecunia numerata, idque ratione lucri cessantis, negabat alter, eo quod tale lucrum compensetur a venditione credito pluribus facta, sicque ex eo, quod tali modo percipiatur lucrum a pluribus. Q. Utri sit adhærendum.

Resp. Neutri; siquidem vel istud plus, quo pecunia credita merces venduntur continetur intra limites justi pretii, & tunc certum est, merces non habentes pretium a lege taxatum, etiam præcisè lucro cessante aliove titulo, posse credito pluris vendi, quam &c. ex gr. pretio supremo pecunia credita; infimo vero, vel medio, pecunia numerata; cum nemo, per se loquendo, teneatur res suas vendere, maxime credito, infra pretium supremum justum. Vel istud plus, quo pecunia credita merces venduntur, excedit limites justi pretii; & tunc dico, quod si hoc plus judicio viri prudentis sit moderatum, ac conforme regulis quoad hoc traditis a sanis DD. adhuc merces possunt credito sic pluris vendi; non quidē ratione lucri cessantis, cum lucrum per numeratam pecuniam alias perceptibile, vere ei compensetur per plures venditiones credito factas, quæ secus non fierent, ut cum Molina, Salas, ac de Lugo, notat Viva Opusc. de Usur. quæst. 1. art. 5. n. 7.

n. 7. & La Croix de empt. & vend. n. 944. ſed ratione periculi non habendæ poſtea ſolutionis ſine moleſtiis, imo & amittendi pretium ſolvendum ab aliquo ex Debitoribus; quod periculum ſane eſt pretio æſtimabile.

MENSE MAII.

CAS. I. *Villicus, jam per annos viginti degens in Prædio Viri Nobilis ac divitis, pluries per ſingulos annos furatus eſt Domino modicum quid, puta tempore meſſis modicum uvæ &c. nunquam tamen intendens continuare in hiſce furtulis. Nunc advertens, omnia hæc modica ſimul ſumpta facere unum ſatis, petit a Confeſſario, an peccaverit mortaliter, & ſub gravi teneatur ad reſtitutionem. Quid reſpondet Confeſſarius.*

Reſpondet, quod vel ſolū hic & nunc advertit ſe Domino furatum fuiſſe in quantitate notabili; vel hujuſmodi advertentiam habuit etiam prius, cum furtula proſequebatur. Si primum inquit; inadvertentiam ipſum quidem a gravi culpa excuſaſſe, nihilominus ipſū teneri reſtituere Domino res ablatas, ſi adhuc penes ipſum extant; aut id, in quo ex iis factus eſt ditior, cum res clamet ad Dominum, & ex alieno quis diteſcere non debeat. Addit tamen, quod ſi nihil remanet

manet penes ipſum, nec in aliquo factus eſt locupletior, tunc non tenetur ſub gravi reſtituere, quia tanta obligatio in caſu nequit oriri ſine culpa gravi, adeoque ſine gravi damno advertenter cauſato, aut ſine injuſta acceptione mortali, ut tradit Viva in 29. prop. damn. ab Alex. VII. n. 15. Si ſecundum, inquit, ipſum toties peccaſſe mortaliter cum onere reſtitutionis, quoties ſumpſit aliquid advertendo ſe aut complere, aut cuntinuare ablationem notabilem; ſic enim deliberate damnificavit, aut perrexit damnificare notabiliter Dominum. Viva ibid. n. 18. cumque ex notabili deliberata damnificatione, etiam facta per pauca furta, quis teneatur ſub mortali reſtituere, ut conſtat ex proſcriptione prop. 38. facta ab Innoc. XI. ideo in hoc ſecundo caſu tenetur Villicus pro poſſe reſtituere.

CAS. II. *Vacante pingui Beneficio juriſpatronatus, Sacerdos plurima obſequia præſtat Amico Patroni, ut huic notam faciat, commendetque ſuam habilitatem. Q. An in hoc interveniat Simonia.*

Reſp. cum diſt. Vel per ly *commendetque ſuam habilitatem* intendit laudationem ſuæ habilitatis præciſe, vel intendit laudationem ſuæ habilitatis eo fine, ut nominetur ad Beneficium. Si primum DD.

dicunt

dicunt id quidem esse periculosum, si tamen Sacerdos vere intendat ad hoc solum obligare Amicum Patroni, inquiunt, in hoc non intervenire Simoniam. Ratio est, quia talis laudatio de se est quid temporale ideoq; ob hoc illa obsequia præstare est tribuere temporale pro temporali. Si secundũ, dicunt, intervenire Simoniam. Ratio est, quia laudare aliquẽ eo fine, ut nominetur ad Beneficium, non est amplius quid præcise temporale, sed quid spirituali annexum; est moralis causa, quo beneficium conferatur; & via directa ad Beneficium ipsum; ideoque ad hoc illa obsequia præstare, non est amplius tribuere temporale pro temporali, sed pro spirituali, aut spirituali annexo. Hinc sicuti dare pecuniam Familiari Episcopi eo fine, ut ille apud hunc intercedat Ordinationem, est simoniacum, c. *statuimus* 1. q. 12. ita præstare obsequia Amico Patroni eo fine, ut apud hunc intercedat nominationem ad Beneficium; est simoniacũ. Anaclet. lib. 5. decr. tit. 3. §. 7.

CAS. III. *Puella capta pulchritudine Flavii, quem putabat liberum, permisit ei, sui deflorationem. Postea tamen videns illum familiariter agere cum Cassia sua Conjuge ipsi Puellæ ignota, innuptaque ab ea reputata, clam huic propinavit venenum, ut, æmula è vivis erepta, totum in se verteret*

amorem Flavii, eique nuberet. Q. An, Cassia ob hanc propinationem pereunte, possit Puella absque dispensatione Flavio nubere.

Resp. Posse: quando enim unus ex Adulteris, altero omnino inscio, machinatus est mortem Conjugi ejusdem, non sufficit pro inducendo Criminis impedimento talis occisi cum prævio Adulterio materiali: sed est necesse, quod præcesserit adulterium utrinque formale; quod evenit, quando uterque, concumbens scit, vel se, vel alium, cum quo concumbit, vel utrumque, jam esse conjugatum Matrimonio saltem rato, prout uno ore DD. fatentur. Cum ergo talis non fuerit concubitus Flavii cum puella, utpote quia hæc ignorabat, Flavium esse uxoratum & Cassiæ conjugem; dicendum, inter ipsã & Flavium non dari Criminis impedimẽtum, adeoque, quantum ex hoc est, ipsã posse Flavio nubere absque &c.

MENSE JUNII.

CAS. I. *Capellanus obligatus quotidie celebrare, cum semel in hebdomada per annum venerit Bononiam ad invisendos Consangvineos & Amicos, ea die, qua venit, nunquam celebravit. Q. An peccavit, & teneatur modo possibili supplere Missas non celebratas.*

Resp. Cum distinctione. Vel in fundatione

tione talis Capellaniæ fuit illi impositum, quod quotidie celebret per se ipsum; vel non. Si non; dico, Capellanum peccasse, & teneri &c. nã debebat alteri celebrationem committere, si nolebat, aut nequibat iis diebus celebrare per se; siquidem Capitulum *Significatum* de Præb. permittens aliquando vacare, procedit solum, quando cautum est, ut Capellanus quotidie celebret per se ipsum; ut ultra Fagnanum ibid. n. 9. notat Sanctissimus D. N. Papa Benedictus XIV. tum. Notif. 15. tom. 3., cum de Sacrif. Miss. part. 4. n. 20., afferens apertam declarationem S. Congregationis Conc. 18. Sept. 1583. *Si fuit illi impositum &c.* Si vero primũ: dico, potuisse quidem Capellanum aliquando vacare, etiam ad hunc finem invisendi Consanguineos & Amicos; cum hos intra annum aliquando invisere sit quid honestum; at non cum tanta frequentia, & taliter, ut ob id præcise semel in unaquaque hebdomada celebrationem omitteret; nam hoc speciem potius habet voluptatis, quam honestatis; neque credibile est, Fundatorem Capellaniæ vacationi adeo frequenti fuisse unquam consensurum. Hinc censeo, attento hoc solo motivo, id quidem licuisse quinquies, aut sexies in anno, si multum distabat,

non

non vero pluries; ideoque quoad reliquas vices Capellanum peccaſſe, ac teneri &c.

CAS. II. *Alter Capellanus pariter obligatus quotidie celebrare, ſemel in hebdomada pro miſſa accepit eleemoſynam, & ſic pro ipſam largiente per annum applicuit. Q. An licite.*

Reſp. Negative. Ita reſpondit S. Congr. Conc. die, menſe, & anno prædictis, etiam Capellanus eſſet obligatus quotidie celebrare per ſe ipſum. Idemque reſolvit S. Congr. Viſitationis Apoſtolicæ 18. Junii 1697. expreſſe decernens, accipientem teneri ad reſtitutionem ſtipendii, & dantem ad novam Miſſæ applicationem. Imo præfata S. Cong. Conc. ibid. declaravit, Sacerdos obligatos ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut ſtipendii, per ſe ipſos quotidie celebrare, diebus licitæ vacationis non poſſe Miſſam pro ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro fundatoribus, celebrare. Vide Opera Sanctiſſimi D. N. Papæ Benedicti XIV. loc. cit.

CAS. III. *Sacerdos jam habens ſtipendium pro Officiatura, ſeu præſentia accipit aliud ſtipendium pro Sacrificii applicatione. Q. Idne licite fieri poteſt?*

Reſp. Quoad hoc duplex circumferri Decretum S. Congr. affirmativum unum, negativum

negativum alterum. Quoniam vero SS. D. N. inquit, de neutro ex his Decretis ſatis conſtare; ideo dico, quod ſi clare pateat, obligantem ad præſentiam, hanc ſolum intendiſſe; tunc utique accipi poteſt aliud ſtipendium pro applicatione, cum præſentia, & applicatio ſunt duo diverſa, & onus celebrandi in tali loco, & ad tale Altare, valde differat ab illo applicandi ſacrificium; atque hæc ſententia videtur uſu recepta. Si tamen certo non conſtet, obligantem ad præſentiam, hanc ſolam intendiſſe; tunc accipi non debet aliud ſtipendium, ſed Sacrificium debet etiam pro illo applicari, ut declaravit S. Cong. Conc. 18. Martii 1608. nam pro onere applicandi ſufficit ordo habitus celebrandi, quique ſe exemptum prætendit ab onere applicationis, claris probationibus hanc exemptionem debet oſtendere: Ita SS. D. N. Papa Bened. XIV. cit. Notif. 15.

MENSE JULII.

CAS. I. *MArius internę dubitans, an Chriſtus Dominus vere ſit in Eucharistia, quasi ratiocinium continuando, externe profert*: Equidem credo, quod ibi non ſit. Q. *An ſubſit Excommunicationi latæ in Bulla Cœnæ contra Hæreticos.*

Reſp.

Resp. Negative. Siquidem ad incurrendam Excommunicationem requiritur actus externus de se hæresis internæ manifestativus, ut ajunt DD. comm. Cum ergo allata verba hujusmodi non sint, utpote indifferentia ad significandum aliquid etiam juxta fidem, puta, quod, ibi non sint substantia panis; ideo Marius ob ea non subest Excommunicationi &c. Et parum refert, quod si ea referantur ad id quod idem Marius habet in mente, eique uniantur, tunc hæresim manifestent; pro incursu enim in Excommunicationem debent verba hæresim manifestare ex se, & sejunctim ab eo, quod habetur in mente, cum de hoc Ecclesia non judicet, nisi ad extra sit sufficienter manifestatum. Sayrus in can. 1. Bul. Cœn. cap. 4.

CAS. II. *Cauponarius videns Romipetam velle opprimere Cauponæ famulam, tot verberibus ipsum percutit, ut bene totum illius corpus lividum remaneat. Q. An incurrerit Excommunicationem ejusdem Bullæ.*

Resp. Negative. Livor enim non est interfectio, non vulnus, non mutilatio, de quibus loquitur Bulla; sed est plumbeus quidam color, ex eo procedens, quod in corpore, duro ictu inflicto, exiles venæ contusæ sanguinem ad extremá cutem diffundunt

diffundunt, ut recte inquit Duardus lib. 2. in c. 10. q. 2. n. 3. Non eximeretur tamen à Censura, si ante ipsius pœnitentiam Romipeta moreretur ob impotentiã se curandi; licet enim verberatio alias nõ fuisset mortalis, fit in casu mortalis ob circumstantias, ut cum Bonacina notat Rosignolus cap. 10. in Excomm. ejusd. Bul. imo, juxta Altarium & Duardum probabiliter etiam non eximeretur, si in aliqua parte causatus fuisset notabilis tumor, ob quem secuta sit separatio cutis intrinsecus (idem dic, si fractum fuerit aliquod os,) aut necessaria sit opera Chirurgi, qui partem læsam adaperiat ad extrahendam saniem; tunc enim vel habetur scissura, adeoque vulnus; vel opus est, scissuram facere, & sic percussio est causa vulneris; quod sufficit ad censuram; sicuti enim nihil interest, utrum quis occidat, aut causam mortis præbeat, l. *nihil* ff. ad l. Cor. de sic. ita.

CAS. III. *Petronius accepta gravi injuria à Clerico, audiens hunc occisum fuisse nomine ipsius, ratam habet hujusmodi occisionem, etsi displicentiam exterius ostendat. Q. An per hoc sit Excommunicatus, & irregularis.*

Resp. Eum neque Irregularem esse, neque Excommunicatum. Non est Irregularis,

gularis, quia licet in cap. *Cum quis* de sent. Excom. in 6. Ratihabitio de occisione, aut percussione Clerici, comparentur mandato; tamen comparatio ibi non fit quoad incursum in Irregularitatẽ, sed in Excommunicationem, de qua ibi est sermo. Hinc licet mandans Clerici occisionem, secuto effectu, sit irregularis; non sic tamen eam ratam habens, uti est Petronius. Neque est excommunicatus, quia excommunicatio utpote pœna Ecclesiastica, lata est pro ratihabitione externa, non autẽ pro interna, ut expresse notat Fagnanus in cap. *Dolentes* de Celebr. Missar. Propterea cum Petronius externe de hujusmodi occisione displicentiã ostendat, dicendũ, ipsũ non esse excommunicatum.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Domninus nulla pollens arte, & à pueritia assuetus famulari, non inveniens Dominum, ut ipsum conduceret justo salario, necessitate compulsus famulatum suscepit Viri Nobilis cum salario valde inferiori; cumque eo Domnus non minus utatur in operando, quam reliquis famulis, ei tantum clam surripit, quantum adæquat solarium aliorum. Q. An licite.*

Resp. Domninum, servatis legibus occultæ compensationis, licite clam surripere, si non quantum adæquat &c., saltẽ

quantum

quantum deest justo salario infimo. Ratio est, quia conducens una parte, eo ipso quod conducit, debet stare legibus justæ conductionis; ex alia, una ex hisce legibus est, quod famulo conducto tribuatur salarium justum saltem infimum; quod propterea si illi non tribuit, potest conductus se clam compensare, ut tradit Gi-rib. in 4. Decal. cap. 2. d. 3. n. 30. Nec obstat pactum in Contrarium, eo enim ipso, quod est contra legem aut bonos mores, non obligat. Fagnanus in cap. *Antigonus* de Pactis. Et censetur factum non animo condonandi reliquum, sed ne amitteret illam commoditatem; quod enim quis fecit necessitate compulsus, non facit libere, sed invite, & quasi coacte. Hinc Rosignolus de Loc. & Cond. præn. 9. cum Molina, Reginaldo, ac Rebello inquit, Dominum adhuc posse &c. si semetipsum obtulerit, quia necessitas non minuit rerum valorem, & merces ultroneæ vilescunt quidem, sed intra, non infra latitudinem justi pretii. Alii tamen inquiunt, in casu esse aliquid plus minuendum; nam merces ultroneæ vilescunt saltem pro tertia parte pretii.

CAS. II. *Cajus locavit Publio sua vita durante, operas suas, & filiorum ad molendum in ejus molendino sub certa mercede*

pro

pro singulis annis. Q. An, multiplicatis notabiliter filiis, teneatur Cajus molere eadem mercede.

Resp. Negative. Cum enim ultra justū neutra pars gravari de jure potuerit, prudenter præsumitur, quod contrahentes de tot filiis non cogitaverint, per cōsequens quod neque de tanta multitudine conveniret. Quare in casu vel judicio viri prudentis à Publio augenda est merces, vel non omnes sunt obligandi ad molendum & operandum contra æquitatē. Rebellus de Loc. & Cond. q. 1. Silvester V. *Locatio* q. 7. Aliique com.

CAS. III. *Fabius occidit Bannitum non zelo justitiæ, vel ob bonum Reipublicæ; sed ut reportet præmium occisori ejusdem promissum à Principe. Q. An sit reus culpæ mortalis.*

Resp. Negative, supposita exclusione odii, ac vindictæ. Ratio est, quia licet expresse solum intenderit præmium reportare, implicite tamen, virtualiter, ac interpretative intendit etiam bonum reipublicæ, justitiæque exercitium; prudēter enim præsumi potest voluisse illum occidere, occisione non peccaminosa, sicque ob aliquem ex iis finibus, ratione quorum peccaminosa non est. Propterea

cum isti fines sint bonum Reipublicæ &c. ideo ob istos fines, vel saltem ob aliquem ex istis finibus Bannitum occidisse dicendum est. Cæterum si nullo modo aliquē ex hisce finibus intendisset, à mortali excusari non posset; tunc enim evinceretur intendisse hujusmodi occisionem sub pura ratione homicidii ob præmium, quod ex objecto suo malum est, & quidem gravissimum. Vide Gavel, super Brev. Theol. pag. 239.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *VIx peracta à Parocho celebrante secunda Consecratione, monetur, Parochianum petisse Sacramenta, ac esse morti proximum: cumque non adsint in Ciborio particulæ antea consecratæ; nec in loco alius Sacerdos, sumit ipse unam ex mox consecratis cum Vasculo Olei infirmorum, relictisque duobus ad custodiam specierum consecratarum, eo pergit cum aliis ad excipiendam illius Confessionem, eique ministrandum Viaticum, & Extremam Unctionem. Q. An interruptio Sacræ actionis, & Ministratio Viatici cum dicta particula liceant in casu, etsi in Missa nondum fuerit peracta Consumptio.*

Resp. Affirmative. Cum enim charitas Religioni, ac puro Ecclesiæ præcepto, seu Consvetudini præponderet, obligatio

providendi

providendi ſaluti Animæ proximi prævalet obligationi non interrupendi Sacrificium, & non communicandi ante consũptionem cum particula in eodem conſecrata, ut cum Diana, Averſa, & aliis inquit Quartus in Rubr. Miſſ. part. 2. tit. 3. dub. 3. imo ita in ſimili caſu fieri debere communis eſt DD. ſententia. Notat tamen Quartus ibid. quod ſi confeſſio moribundi longior futura ſit ultra mediam horam, Parochus, audito aliquo peccato, illum moneat, ut generaliter ſe accuſet de reliquis, proponens ea poſtea ſingillatim confiteri, ſi poſſit, ſtatimque illum abſolvat, cæteraque ei Sacramenta miniſtret, omiſſis Pſalmis; & abſque alia mora revertatur ad perficiendum Sacrificium, ut Miſſæ unitas ſervetur; & poſtea, ſi adhuc vivit, ad ipſum redeat, audiat reliquam Confeſſionem, & denuo abſolvat.

CAS. II. *Confeſſarius dubitans de relapſu Pœnitentis, ante abſolutionem exigit ab eo juramentum, quod relinquet occaſionẽ proximam voluntariam, nec amplius relabetur in tale peccatum.* Q. *An bene, vel male ſe gerat.*

Reſp. Confeſſarium ſic male ſe gerere. Ratio eſt, quia ſi habet rationabile fundamentum dubitandi de non dimiſſione hujuſmodi occaſionis, ac de relapſu Pœ-

 nitentis,

nitentis, debet huic abſolute differre abſolutionem, non autem ab eo exigere juramentum de occaſione dimittenda, ac de vitando relapſu; cum enim abſoluti ante dimiſſionem regulariter non ſtatim dimittant, & non relapſus plurimum pendeat à remotione occaſionum, & à divinis auxiliis, quæ licet debeamus ſperare, pendet tamen à libera Dei voluntate; ſi tale juramentum ab eo exigit, Pœnitentem relinquit in occaſione proxima tum relabendi, cum pejerandi, ſicque in proximo periculo duplicis mali, ſi antea erat in periculo unius tantum, ut advertunt comm. DD.

CAS. III. *Famulus etsi videat alium famulum res Domini ſurripere, tacet. Q. An tale ſilentium ſit contra juſtitiam, & propterea, fure non ſolvente, ipſe ſolvere teneatur.*

Reſp. Cum diſtinctione. Vel iſti famulo ſpecialiter commiſſa eſt cura, & cuſtodia rerum domeſticarum; vel non. Si primum; dico, utique tale ſilentium eſſe contra juſtitiam, ſi abſque ſui gravi periculo impedire valeat Domini damnum clamando, aut reſiſtendo; cum enim teneatur ex officio hoc impedire, non impediendo deeſt muneri ſuo, adeoque ipſe pro eo tenetur ad ſolutionem, ſi ille non

ſolvat.

ſolvat. Si ſecundum; ſubdiſtinguo: vel videt alium famulum res Domini ſurripere, & congregare animo aſportandi, & fugiendi, & tunc dico cum communiori ſilentium adhuc eſſe contra juſtitiam cum obligatione reſtituendi, ni potens clamet, & impediat, ut etiam dici ſolet, cum furantur extranei; in his enim caſibus famulus eſt quaſi domeſticus, & familiaris Domini, certa mercede conductus ad commodum, & utile ejuſdem, ac proinde damnum Domini vitare tenetur. Vel videt famulum aliquid quidem ſurripere, ſed neſcit, ipſum congregare animo aſportandi, & fugiendi; & tunc dico, ſilentium eſſe tantum contra Charitatem, quatenus potens non evitat malum proximi. Cæterum cum ex officio ipſum avertere non teneatur, non obligatur ad ſolvendum, fure non ſolvente. Giribaldus de Reſtit. cap. 3. dub. 5. n. 43.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *NOvit Flaminius, Uxorem ſuam febri maligna, adeoque periculoſa laborare, at ſimul etiam novit, eam eſſe valde apprehenſivam, & notabiliter contriſtandam cum augmento morbi, ſi eidẽ manifeſtetur periculum, cui ſubeſt. Propterea cum ipſa confeſſa fuerit heſterna die, & ex devotione ſacra Communione refecta,*

nedum tacet ipse, verum etiam curat, ne quis ei mortis periculum patefaciat. Q. *An istud silentium sit culpabile.*

Resp. Affirmative. Directe enim opponitur Charitati, cujus lege deberet Flaminius saluti spirituali Uxoris consulere, nedum ipsam hortando, ut divinæ dispositioni se humillime subjiciat, morbique molestiam patienter ferat; verum etiam ut meliori modo, quo potest, animæ suæ provideat, ferventius à Deo peccatorum veniam exposcat, Sacramentis Ecclesiæ se muniat &c. Licet enim confessa fuerit hesterna die, & sacra Communione refecta; tamen si etiam nunc non suberat probabili mortis periculo, incertum est, an per illam Confessionem, & Communionem satisfecerit præceptis confitendi & communicandi in periculo mortis; cũ id plures quidem affirment, alii tamen quã plures negent, ut videre est apud Gribaldum de Euch. cap. 7. dub. 3. Deinde cum hujusmodi febri laborantes persæpe in phrænesim incidant; veræ ac debitæ charitatis officium exigeret, ipsam monere, ut petat, quod, morbo magis ingravescente, ei ministretur Extrema Unctio, seque interim ad eam disponat, sic eam uberiori cum fructu perceptura, nec nõ auxilia potentiora pro ultima lucta. Cum

ergo

ergo iſtud Charitatis exercitium obruatur noxio illo ſilentio, quis Flaminii hoc culpæ non imputabit? Neque ipſum excuſat prævìſio contriſtationis cum augmẽto morbi: *Anima enim eſt multo pretioſior corpore.* C. *Cum infirmus* de Pœnit. & Remiſ. ac præferenda eſt cæteris rebus, L. *Sancimus* §. penul. c. de Sacr. Eccl.

CAS. II. *Valerius ſummo mane diſceſſit è propria regione, ubi celebratur feſtum Patroni principalioris, ac ſe tranſtulit in aliam, ubi recolitur feſtum conſimile. Q. An teneatur hic Sacrum audire.*

Reſp. Affirmative. Si antequam diſcederet è propria regione, illud non audivit. Ratio eſt, quia praxis, & uſus quasi communis jure gentium inductus, & approbatus, ac unanimi conſenſu omnium Fidelium, Superiorum, & Paſtorum receptus, hanc obligationem induxit, ſtatim ac utrobique viget, ac obligat ſimilis lex, aut conſvetudo, ut notat Boſſius de Jubil. ſect. 4. caſ. 18. n. 44. Et quidem jure, ac merito talis uſus invaluit; ſic enim & Religioni fit ſatis, & graviori pondere nemo oneratur ob exiſtentiã in proprio, vel alieno territorio. Hinc Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. n. 15. abſurdũ dicit in caſu ſentire oppoſitum.

CAS. III. *Sempronius obligatus ratione*

Capellaniæ

Capellaniæ ad quotidie celebrandum ad Altare S. Mariæ, per mensem omnino destitit à celebratione, eo quod in tali Altari fieri non poterat celebratio: per alium mensem celebravit ad aliud altare, quamvis commode posset celebrare in deputato. Q. An in utroque casu male se gesserit; ac teneatur ad aliquid.

Resp. Ad 1. cum dist. Vel erat obligatus quoad solam præsentiam; & tunc dico, quoad hoc ipsum nec male se gessisse, nec teneri ad aliquid, cum habuerit legitimum Altaris impedimentum. Vel erat obligatus etiam quoad Sacrificii applicationem; & tunc dico, ipsum sic male se gessisse, ac teneri ad supplenda Sacrificia omissa; impedito enim Altari designato, recurrere debebat ad Episcopum, qui vigore facultatis sibi à Tridentino concessæ, ipsi pro interim assignasset aliud Altare, in quo celebraret, & sic meliori modo possibili Testatoris mentem impleret. = Ad 2. Vel Altare S. Mariæ est privilegiatum, & ipse celebravit in alio non privilegiato; & tunc dico, quod male se gessit, ac obligatur restituere, aut in eodem tot Sacrificia per aliũ supplere, ob spirituale damnum Testatori illatum. Vel non est privilegiatum, & tunc dico, quod si obligatio erat quoad

solam

ſolam præſentiam, non acquiſivit ſtipendium, utpote relictum ex fine habendi præſentiam. Si vero obligatio erat etiam pro applicatione, debet ſibi retinere ratã huic præciſe correſpondentem, & reliquum reſtituere, cum applicuerit quidem Sacrificium, ſed non in loco debito. Roſignolus, Puteob, aliique.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Camillus certo ſciens ex una parte Clericum quemdam malum eſſe, ac vitioſum; ex alia conjiciens, ob fictas virtutes, apparentemque modeſtiam, & probitatem, eum bonitatis ſingularis fama pollere apud fere omnes regiones; modo huic, modo illi dicit, eum eſſe inſignẽ hypocritam, & lupum in pelle Ovina. Q. An peccet mortaliter.*

Reſp. Cum diſtinctione. Vel hoc facit ex juſto, & rationabili motivo, puta, ad neceſſariam inſtructionem, ne quis ejus hypocriſi decipiatur, pravis moribus inficiatur &c.; & tunc dico, quod ſi id fiat, ſecluſo malo animo erga ipſum, tantum abeſt, quod Camillus peccet mortaliter, ut per hoc potius exerceat actum Charitatis, & mereatur. Vel hoc facit ſine juſto, & rationabili motivo; & tunc dico, Camillum peccare mortaliter: licet enim is ſit vitioſus, nec poſſideat virtutem, ſeu

bonitatem,

bonitatem, quæ est veræ famæ fundamentum; tamen cum ejus malitia occulta sit, nec supponatur alteri noxia, nequit alii, absque gravi culpa, ac onere restitutionis, manifestari. Propterea Camillus toties peccat mortaliter, quoties alicui id refert; graviter enim lædit jus, quod Clericus habet ad propriam famam penes tales personas, apud quas proinde tenetur modo possibili famam restituere, ut tradunt DD. comm.

CAS. II. *Troilus post expeditum Breve, vigore cujus possit eligere Confessarium, qui eum absolvat ab omnibus Censuris & peccatis, etiam S. Sedi reservatis, novum peccatum commisit reservatum Pontifici. Q. An vigore ejusdem Brevis etiam ab hoc possit absolvi.*

Resp. affirm. Ratio est, quia facultas, in casu concessa, generalis est, ac illimitata. Unde sicuti facultas tempore Jubilæi concessa, ob hanc rationem, dicitur extendi nedum ad peccata commissa ante Jubilæi promulgationem, sed etiam ad postea perpetrata usque ad tempus absolutionis (Viva Opusc. De Jub. quæst. 11. art. 3. n. 2.) ita facultas obtenta per præsens Breve &c. & hoc etiamsi in eodē exprimatur *pro hac vice*, *pro una vice*; nam hujusmodi varba non restringunt concef-

concessionem, ad sola commissa tempore concessionis, sed ad unam confessionem, adeo ut si Pœnitens post obtentam Absolutionem vigore Brevis, denuo in reservata labatur, Breve obtentum, amplius inserviat. Excipe tamen casum, quo pœnitens dolose diu distulerit Brevis executionem, ut interim laxatis habenis peccaret, & postea absolveretur, cum enim fraus & dolus nemini debeant patrocinari, mens Concedentis non est, ut impertita facultas ad hæc absolvenda deserviat Lugus de Pœnit. disp. 20. sect. 8.

CAS. III. *Fœmina Prægnans, gravibus subjecta veneris cogitationibus, sæpius experta est, jejunii remedio se facile vincere hujusmodi tentationes, e contra non jejunando se pluries ab iis vinci. Q. An teneatur jejunare, quamvis jejunium sit noxium fœtui.*

Resp. Ipsam nec teneri, nec posse jejunare, eo ipso, quod novit jejunium esse noxium fœtui. Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Jam vero statim ac jejunium est noxium fœtui, malum est. Nec refert, quod plurimum inserviat ad vincendas tentationes; quamvis enim sit medium aptum ad tale finem; non est tamen medium unicum; frequens enim Novissimorum recordatio,

occa-

occaſionum ſollicita fuga, ſeria meditatio Paſſionis Chriſti Domini, diligens ſenſuum cuſtodia, humilis divini adjutorii poſtulatio, vigilans voluntatis frenatio &c. ſunt media & ipſa valde conducentia ad talem finem; quibus propterea ſi ipſa opportune, ac ſolicite uſa fuiſſet, non victa, ſed victrix, Deo opitulante, extitiſſet. At etiam demus, uſu horum mediorum tentationes non evaneſcere; imo inobſervantiam jejunii illi eſſe occaſionem proximam peccandi; quid tum? Adhuc debet non jejunare in caſu, 1. quia ſubeſſe tentationibus culpa non eſt, ſed ſeges meriti, quoties illis voluntas reſiſtit: 2. quia occaſio peccandi ſtimulat quidem ad peccandũ; at per ſe peccatũ non eſt, niſi ſit voluntaria: Ideoque cum in caſu fœminæ voluntaria non ſit, utpote quia ſi pluries cibum ſumit, neceſſario id facit, ut ſe, ac fœtum nutriat, dicendum &c. E contrario, in caſu jejunium, utpote noxium fœtui (ſicuti ſupponitur) in ſe eſt peccatum.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *Mercator, emptore petente certam ſpeciem mercis, quam ipſe non habet, fingit ſe pergere domum ad eam ſumendam; at pergit eam emere ab alio vicino Mercatore pretio ex. gr. novem*

juliorum,

juliorum, emptamque deferre, ac illico revendit petenti pretio juliorum duodecim. Q. An licitum sit hujusmodi lucrum.

Resp. Cum distinctione. Vel pretium Juliorum duodecim non excedit limites justi pretii; vel illos excedit. Si excedit; clare patet, non licere hujusmodi lucrum, utpote injustum. Si non excedit; dico, licitum esse, cum juxta dicta unicuique regulariter liceat res suas non vendere nisi pretio supremo, nec quis tenetur vendere merces eodem pretio naturali, quo ipse eas habuit. Et sane si ipse ex speciali favore eas ab Amico habuit etiam infra infimum pretium, teneturne per hoc & ipse eas vendere infra infimum? Certe quod non. Nil mirum ergo, si speciem mercis emptam pretio novem juliorum, possit mercator aliquando revendere pretio juliorum duodecim, casu quo nempe hoc contineatur intra limites justi pretii. Cæterum est bene advertendum, non omnes res, quæ habent novem julios pro pretio infimo, habere pro medio decem cum dimidio, & duodecim pro supremo; esto enim hoc verificetur de rebus v. g. nobilioribus, non verificatur tamen de omnibus aliis, quædam enim sunt, quarum pretium infimum, si est novem juliorum, medium est novem cum

dimidio

dimidio, ſupremum eſt decem. Propterea quoad hoc attendenda eſt qualitas rerum, & conſvetudo timoratorum, ut frequenter notant DD.

CAS. II. *Fur abſtulit Equum a Viro divite, & per triennium locavit eumdem modo huic, modo illi, accipiendo pretium locationis. Q. Ad quid teneatur.*

Reſp. Furem per ſe teneri nedum ad reſtitutionem Equi, verum etiam ad ſolvenda Domino pretia locationum, detractis expenſis factis circa eumdem Equum, quas pariter feciſſet Dominus, ſi Equum penes ſe habuiſſet. Ratio de ipſo Equo clara eſt; quia nempe res clamat ad Dominum. Ratio poſtea de pretiis locationum hæc eſt; quia iſta data fuere pro uſu ejuſdem Equi: porro pretium ſolutū pro uſu rei ſpectat ad Dominum, cujus eſt ipſa res. Giribaldus de Reſt. cap. 2. dub. 5. Dixi *per ſe*, quia non nunquam Nobiles prædivites remittunt pretia locationum. Verum ut ab eorumdem reſtitutione Fur ſit exemptus, de tali remiſſione debet certo conſtare; credulitas enim non eximit, cum ea, quæ ſunt facti, non præſumantur, nisi probentur, l. *In bello* §. *facta* ff. de Cap. Manrique QQ. mor. par. 2. quæſt. 88.

CAS. III. *Silveſter monetur, Confeſſa-*

rium suum per aliquod tempus peractæ ab ipso Confessionis dormitasse. Q. An teneatur illam repetere.

Resp. cum distinct. Vel talis Confessio fuit de solis venialibus, & tunc certũ est. Silvestrum non teneri &c. quia venialia sunt materia libera. Vel fuit mixta mortalibus, & tunc subdistingvo ex monito circumstantiæ temporis, quo Confessarius dormitavit, cognoscit determinate peccata, quæ hic percepit, & tunc dico, necesse quidem esse, at etiam satis, quod de his iterum confiteatur: sicuti enim invicibilis oblivio alicujus peccati non tollit directam absolutionem eorum, quæ rite ponuntur, sed solum relinquit obligationẽ illud confitendi, quando ejus quis reminiscitur; ita non perceptio aliquorũ non tollit directam absolutionem eorum, quæ confessarius percepit, sed solum relinquit obligationem iterum confitendi ea, quæ &c. Vel non cognoscit determinate &c. & tunc repetenda est integra Confessio, saltem si fuit brevis, & non a multo tempore facta, quia dubitari potest de singulis distributive, cum numerus peccatorum sit modicus, nec sit grave onus talem Confessionem repetere. Dixi: *saltem si fuit brevis* &c. nam si fuit longa, juxta Lugum disp. 16. n. 607. ac Puteobonel. quæst. 3. art. 7. sufficit in nova

Confessione dicere. Scio, vel dubito, quod Confessarius non audierit unum vel duo vel &c. gravia; sed in ea Confessione non tales, vel tales species peccatorum exposui. Vide Giri. de Pœnit. cap. 11. dub. 5.

ANNO MDCCLI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. *PArochus vocatus ad excipiendam Confessionem infirmæ, invenit Concubinam in domo Concubinarii graviter ægrotantem. Q. Quid agendum in isto casu.*

Resp. Cum distinctione. Vel Concubina potest alio transferri absque periculo ipsi accelerandi mortem, scandali, & infamiæ, vel non. Si potest, Parochus debet illi præscribere, ut hanc sui translationem procuret, eamque, ut hæc fiat, adjuvare, tum ad obviandum scandalo proximi, si Concubinatus alicui innotescit; cum ad removendum ab ipsa, & Concubino periculum relapsus, saltem mentalis, cui alias subsunt. Et si hoc ipsa facere recuset, utpote indisposita, non est absolvenda; secus vero si secus. Si potest sine dicto periculo transferri curet, si expedit, eos conjungere in Matrimoniū & si non expedit aut concubinus nolit eā ducere, omnē curā adhibeat, ne idē amplius ad eā invisendā accedat, sub-

stituta

stituta si opus sit, spirituali & honesta aliqua fœmina pro servitio infirmæ. Ulterius hanc moneat, ut male actæ vitæ verū dolorem concipiat cum firmo proposito quamprimum dimittendi illam occasionē, si Deus dederit, quod possit, ut impensiꝰ pro divina assistentia se Deo commendet, cum spe divini adjutorii pro vitando relapsu; ut denique procuret occasionem illam reddere remotam, vitando Concubini colloquia, quoad fieri potest etiam aspectum; si enim *locus, in quo quisque prave vixit, in aspectu mentis opponit, quod sæpe ibi cogitavit, vel gessit C. Valet* dist. 81. quam vividius id præstare valet præsentia Concubini in fragilli Concubina? Si ad hæc omnia Parochus eam promptam inveniat, confessam absolvat; nam sic illa est in occasione solum remota, & materiali, ut ait Cardenas; & si aliquo modo adhuc est in periculo, non tam dicitur istud amare, quam invita subire; & ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat, ut ait S. Basilius in Const. Mon. cap. 4.

CAS. II. *Factis denunciationibus Matrimonii ineundi Cajam inter ac Sergium, Berta Cajæ soror exponit Parocho in confessione se olim cum Sergio fornicatam fuisse;*

ipse; unde ei imponit pro pœnitentia, ut extra Sacramentum denuntiet Affinitatis impedimentum. Q. *An Berta teneatur hanc pœnitentiam acceptare, & implere.*

Resp. Negative. Est enim pœnitentia incongrua, & injuncta cum errore clavium; cum obliget Bertam, ad aliquid juri naturæ contrarium, nempe ad se graviter infamandam, detegendo turpitudinem suã extra Sacramentum; quod nemo illi præcipere potest; ut clare colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. in fine, ubi ait: *Nihil potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.* Hinc Berta tenetur quidem (sive ei imponatur à Parocho, sive non) secluso periculo relapsus, & cujusvis alterius mali gravis, secreto monere Sergium de impedimento, ut ipse vel desistat à tali Matrimonio, vel prius dispensationem obtineat, ne fiat Sacramentum nullum, aliaque vitentur inconvenientia, quæ secus evenirent; onus tamen faciendi prædictam formalem denunciationem nec acceptare, nec implere tenetur, ut tradunt DD. comm.

CAS. III. *Sacerdos carens Missarum stipendiis, occasione, qua vult Jubilæum lucrari, applicat Sacrificium pro Animabus Purgatorii, loco eleemosynæ ad illud lucrandum præscriptæ.* Q. *An sic isti oneri satisfaciat.*

Resp.

Resp. Negative. Ratio est, quia talis applicatio reducitur ad eleemosynam spiritualem, hoc carmine à DD. comprehensam *consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*; de qua non est sermo in Jubilæo; ut cum communi docet penes me etiam Zanardus in Direct. de Pœnit. cap. 21. quæst. 26. in fine; nomine enim eleemosynæ absolute prolatæ, ea tantum, quæ realis est, communiter intelligitur. Idque indicare videntur formulæ, quibus in concessione Jubilæi, vel alterius plenariæ Indulgentiæ, solet eleemosyna præscribi: sunt enim tenoris sequentis: *Eleemosynas pro posse distribuant; vel Pauperibus & indigentibus personis, aut locis piis eleemosynas erogent.* Atqui eleemosyna, quæ impertitur per distributionem, quæque erogabilis est locis piis, realis est, non vero spiritualis; ergo &c. ideoque cum noster Sacerdos hanc non erogaverit, dicendũ, quod oneri pro Jubilæo præscripto non satisfecerit. Theodorus à Sp. Sanct. de Indulg. part. 1. cap. 11. art. 2. Bossius, Viva, cæterique comm.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. *Sophronius, vere mendax in stateris, non dat suis adventoribus justum mercium pondus; has tamen illis vendit pretio infimo, taliter ut, si datum*

& acceptum serio considerentur, hujusmodi venditio non excedat limites pretii justi supremi. Q. *An licite id fieri possit.*

Resp. Negative. Nam *statera dolosa abominatio est apud Deum; & pondus æquum voluntas ejus* (Proverb. 11.) Ratio postea est, quia licet Sophronius ante Contractum per se non teneatur vendere merces pretio infimo; ad id tamen tenetur statim, ac sic sponte convenit cum emptoribus: tunc enim sicuti emptores tenentur vi initi contractus solvere pretium conventum; ita venditor vi ejusdem Contractus tenetur conventum mercium pondus tradere emptoribus: Emptio namque & Venditio est Contractus hinc inde obligatorius. Et sicuti, statuto justo mercibus pretio à potestate publica, nequit Venditor absque injustitia, & onere restitutionis, aliquid detrahere Emptoribus, eo ipso, quod solvunt juxta statutum; ita convento ex mutuo consensu pretio infimo; nequit Sophronius absque injustitia, & onere restitutionis, aliquid detrahere emptoribus, eo ipso, quod solvunt juxta conventum. Alias dici posset, quod qui sponte vendidit pretio infimo, & tradidit Emptori totum pondus conventum, possit postea ab hoc licite surripere in compensationem, quantum defuit ad in-

tegrandum

tegrandum pretium ſupremum, vel medium; quod quam falſum ſit, & quot malis oſtium aperiat, nemo non novit. Vide Sporer Compl. in 7. Præc. cap. 6. ſect. 2. n. 75. alias rationes afferentem.

CAS. II. *Vicerat Cajus in ludo notabilem ſummam Tiburtio, cum volens à ludo ceſſare, contra voluntatem fuit adactus proſequi ludum; & in hac proſecutione, quod vicerat, perdidit. Q. An Tiburtius teneatur ad aliquid erga Cajum.*

Reſp. Probabilius eum ad nihil teneri ante ſententiam Judicis. Ratio eſt, quia, ſi tenetur ad aliquid, vel id eſt ob injuriã ipſi illatam; vel quia per illam attractionem fuit cauſa ſubſecutæ amiſſionis; vel quia denique ob eamdem non remanſit in Cajo voluntarietas neceſſaria ad ludi validitatem. Jam vero nullo ex his capitibus Tiburtius tenetur aliquid reſtituere Cajo &c. Siquidem non ex primo; pro injuria enim nõ debetur reſtitutio, ſed pœna: hanc tamen nemo ſubire tenetur ante ſententiam Judicis. Non ex ſecundo; Cajus enim non obſtante tali attractione, poterat poſtea vincere ſicut prius, ſi ſors æque illi faviſſet: quare ſortis potius defectui, quam attractioni imputanda eſt amiſſio ſubſecuta. Non ex tertio; licet enim in utroque ludente requiratur plena

voluntarietas, ut ludus respectu utriusque sit etiam licitus; non sic ut sit validus; Contractus namque ex gravi metu injuste incusso celebrati, sunt involuntarii secundum quid; & tamen, si paucos excipias, ad quorum validitatem jus positivum requirit plenam voluntarietatem, cæteri, utpote voluntarii simpliciter, ab eodem jure supponuntur validi, cum eos præcipiat infirmari instante metum passo. Quid ni ergo idem dicatur de ludo cum attrahente vel tertio, cum non sit inter exceptos? Igitur potest quidem Cajus agere apud Judicem pro restitutione; antequã tamen hic eam mandet ad illam non tenetur Tiburtius. Et ratio fundamentalis est, quia voluntarium mixtum, utpote ex electione proveniens, sufficit ad consensum; qui est immediata causa Contractus; nec non ad transferendum dominium, seu jus, quando intervenit titulus onerosus, ut in casu; quamvis non sic, cum solum intervenit titulus gratuitus, ut in concessione usurarum, ac donatione pecuniæ facta grassatori, ne injuste interficiat. Giribaldus de Contr. cap. 11. §. 2.

CAS. III. *Oblitus Pœnitens gravis peccati, quod annexam habebat Excommunicationem reservatam; fassus & alia peccata, & ab iis absolutionem obtinuit. Q. An, non*

non obstante Excommunicatione, isthæc absolutio sit valida.

Respondeo affirmative; nam quando excommunicatus dicitur a Sacramentis exclusus, & Confessarius erga ipsum jurisdictione privatus, id intelligitur de excommunicato scienter tali, non autem de excommunicato scienter oblito, vel inscio; nullibi enim Ecclesia declaravit, sacramentalem absolutionem hic impertitam esse nullam; quin potius eam valere eruitur ex Trident. sess. 14. de pœnit cap. 5. dicente & peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrent, eadem confessione *in universum* intelligi inclusa: Addo, *quod est ordinatum propter charitatem, non debere contra charitatem exerceri*, ut ait D. Bernardus de præc. & Dispen. Cum ergo potestas aliquando arcendi fideles a Sacramentis, sit a Christo Domino Ecclesiæ collata propter charitatem in remedium scilicet Animarũ, ut resipiscant; ideo in eos non debet contra Charitatẽ exerceri. Exerceretur autem in casu, si absolutio, nostro Pœnitenti impertita, esset invalida; sic enim ille privaretur tã salutari remedio absque sua culpa, imo dum est actu impotens, ob inculpabilem oblivionem, ad melius se ad illud disponendum. Beja part. 3. cap. 4. Sporer de Pœn. cap. 5. q. 3. §. 3.

MEN-

MENSE MARTII.

CAS. I. *VAlerianus instituit Capellaniam cum onere celebrandi singulis diebus festivis ad tale Altare, assignato ad hunc finem congruo stipendio pro Capellano. Accidit autem, ut dies, quæ erat puræ devotionis, nunc effecta fuerit festiva de præcepto. Q. An Capellanus teneatur ista die celebrare ad tale Altare.*

Resp. cum distinctione. Vel assignatio stipendii, facta fuit determinando tantũ pro qualibet Missa, ex gr. duos julios; & tunc dico, Capellanum non teneri &c. quamvis, etiam computata tali Missa, adhuc verificaretur, quod, stipendium sit congruum. Ratio est, quia in tali casu est certum, quod pro celebratione talis diei, nullum fuit assignatum stipendium, cum facta supputatione constet, hoc solũ correspondere celebrationi aliorum dierum. Vel facta fuit in generali, determinando tantum ad annum, aut fructus prædii; & tunc dico, quod si Capellanus, etiam cõputata tali Missa, habet stipendium congruum, tenetur ista die celebrare ad tale Altare. Ratio in primis desumitur ex rationabiliter præsumpta voluntate Institutoris, qui ordinando celebrationem faciendam singulis diebus festis ad tale Altare, censetur voluisse, quod idẽ Altare

nulla

nulla die festiva careat tali cultu, nec populus commodo Missæ. Secundo, a paritate Parochi, qui utpote obligatus applicare pro populo singulis diebus festivis, communiter dicitur obligatus applicare etiam tali die. Tertio, ab æquitate, sicuti enim si festa aliqualiter minuantur, adhuc Capellanus accipit totum integrum stipendium, ut lib. 3, c. 1, de Stipen, Miss. tradit Tamburinus; ita si unum, vel aliud festum accrescat, æquum est, quod celebret, maxime si, attenta hac celebratione, adhuc stipendium est congruum.

CAS. II. *Plena cum advertentia prorupit Titius in hæc verba:* Credidissem, Deum non esse Deum, si non puniret illum. *Q. An hæc sit blasphæmia hæreticalis.*

Resp. negative, Siquidem ad blasphemiam hæreticalem requiritur, quod formaliter, aut virtualiter contineat aliquā falsitatem contra fidem: quod non verificatur in casu. Licet enim in ea propositione conditionali: *Credo, quod Deus &c.* videatur virtualiter contineri hæc absoluta: *Credo quod Deus non sit Deus, cum istum non puniat:* quæ certe est hæreticalis, quia alligat esse Dei necessariū æternum, & immutabile, contigenti punitioni Creaturæ; tamen res ita se non habet, nā dicens, *Credidissem, Deum non esse Deum,*

si &c.

si &c. per hæc verba præcise exprimit sui animi propensionem ad credendam (si non adimpleatur conditio) dictā falsitatem, ut indicat illud verbū *credidissem.* Jam vero in simplici propensione ad istā falsitatem credendam, nec virtualiter involvitur dicta propositio absoluta; sicque verba: *Credidissem, Deum non esse Deum, si non puniret illum*, exprimentia præfatam Titii propensionem, non sufficiunt ad constituendam blasphemiam hæreticalem. Moronus resp. 95. Tamburin. lib. 2. cap. 6. §. 4. n. 22. Aliique.

CAS. III. *Novit Pœnitens, quod (si diutius excutiat Conscientiam suam, probabiliter inveniet aliquod aliud peccatum clavibus exponendum. Quoniam vero jam se examinavit per tantum tempus, quantum communiter sufficiens reputatur pro omnibus suæ qualitatis, ulterius non protrahit examen, sed peccata, quæ ipsius menti occurrunt, confitetur. Q. An valida sit ista Confessio.*

Resp. affirmative; nullibi enim præcepta invenitur excussio diligentissima, & talis, ut probabilitatem excludat aliud quidquam inveniendi ulteriori indagine. Et sane in aliquibus casibus hæc esset vera Conscientiarum carnificina; qui enim fiat, ut post multiplicem, diutinamque peccandi

candi licentiam fere in omni peccatorū genere versatus, ita feliciter, & exacte in memoriam revocet peccatorum species, numerum, & circumstantias ut probabile non sit, quod vel una prava cogitatio illius mentem fugiat? Igitur requiritur quidem discussio diligens; non est tamen necesse, quod hæc diligentia sit summa: nec sufficit levis; satis tamē est mediocris, habito respectu ad qualitatem personæ, ac tempus, quo hæc confessa non est, ad species, ac numerum peccatorū, ad peccandi consvetudinē, & alias circumstantias. Unde non valet: *Si plus se examinaret, plus inveniret; ergo tenetur se plus examinare*: hinc enim nedum attendi debet Confessionis integritas, verum etiam humana conditio, & quod Sacramentū non reddatur Fidelibus nimis onerosum. Hinc quia Pœnitens, se gerendo modo prædicto, supponitur usus diligentia mediocri in se discutiendo, valida dici debet ejus Confessio. Ita comm. contra Clericatum de Pœnit. dec. 21. n. 8.

MENSE APRILIS

CAS. I. *SEjus mutuat Livio pecuniam ad decem annos, cum pacto, quod si interim alter contrahentium moriatur, debitor sit liber, si autem ambo supervixerint mutuatarius dare debeat ali-*

quid

quid ultra ſortem. Q. An talis contractus ſit licitus.

Reſpondeo affirmative, ſi plus dandũ a Mutuatario ſupra ſortem, ita determinetur, ut vere uterque ſubſit æquali periculo amiſſionis, & lucri æqualis. Ratio eſt, quia in hoc caſu uterque incertus eſt de eventu futuro, ac ſui juris, uti ſupponitur; propterea ſi ambo æque ſubſunt periculo lucrandi, aut amittendi æquale, intervenit, quidquid requiritur ad hoc; ut iſte contractus ſit licitus; nã proprie hic non eſt Mutuum, cum Mutuans nequeat in caſu noſtro repetere rem mutuatam in omni eventu; neque Societas, cũ nihil in commune conferatur; ſed eſt Ludus ſortis, ſeu conventio fundata ſupra vitam & mortem ipſorum contrahentium, quæ, intervenientibus dictis conditionibus, licita eſt, ut inter alios tradit Bonacina de contr. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 6.

CAS. II. *Mercator irrequiſitus, & ſponte ſua, mutuam obtulit Antonio pecuniam, quam de proximo negotiationi expoſuiſſet. Acceptavit Antonius, eademq; uſus eſt in negotio ſibi valde lucroſo. Nunc tamen petitus a Mercatore, ut ipſi ſolvat intereſſe lucri ceſſantis, id facere renuit. Q. Cui ratio ſit adjudicanda.*

Reſ-

Resp. Rationem esse adjudicandam Antonio; una enim ex conditionibus requisitis ad hoc ut Mutuans licite possit exigere compensationem lucri cessantis, hæc est, quod Mutuatarius fuerit de ea præmonitus, eaque deducta fuerit in pactum ante perfectionem contractus, nam forte sub hoc onere hic mutuum non accepisset. Atqui non legitur, quod Antonius fuerit in casu præmonitus de tali compensatione, & quod hæc deducta fuerit in pactum ante perfectionem contractus, ergo &c. adeoque &c. Additur in casu, nullum proprie lucrum Mercatori cessasse: cessare enim à lucro, est à lucro cohiberi, seu impediri, ut post Dominicum Soto de Just. & Jur. lib. 6. quæst. 1. art. 3. tradunt DD. comm. Sed Mercator in casu non fuit à lucro cohibitus, seu impeditus, cũ irrequisitus, ac sponte sua, adeoque volens, ac lubens Antonio pecuniam mutuaverit; ergo &c. sicque Antonio ratio est adjudicanda. Giribald de Contr. cap. 3. dub. 8. §. 1. num. 66.

CAS. III. *Sergius accepit in Censum Scuta mille, sperans ea applicare cum lucro. At quia spei fundamentum evanuit, convenit cum Mercatore de ipsi tradendis Scutis quingentis ea conditione, ut medietatem Census, & annuæ responsionis solvat. Q. An Sergius id licite peragat.*

Resp. Negative: Quo enim titulo justificat onus impositū Mercatori solvendi medietatē annuæ responsionis ultra medietatem Census, si, ut ajunt Adversarii, nō instituit novum Censum, certe id facere nequit ratione lucri cessantis, cum non habeat spem fundatam lucrandi: nec ratione damni emergentis; per hoc enim non cogitur quidquam carius emere, aut viliꝰ vendere, habetque alia scuta 500. otiosa: nec ob periculum amittendi sortem, ut Adversarii concedunt: non denique ob commodum resultans Mercatori: hoc enim cum suum non sit, sed Mercatoris, nihil pro eo accipere potest, ut tradunt DD. comm. cum S. Thoma. Remanet ergo, quod ei illud imponat ratione Mutui. Atqui hoc, utpote usurarium, licite peragi nequit; ergo Sergius id illicite peragit, ut cum Navarro recte tradit Rebellus 2. par. lib. 10. quæst. ult. n. 12. Oppositū tamen dici deberet, si esset dispositus ad rite redimendam medietatem Census, & ad instantiam Mercatoris cum eo ita conveniret, siquidem cū nemo teneatur beneficium alteri præstare cum suo detrimento, tunc posset etiam in Mutuo pactum inire, se indemnem servandi, ut firmat Angelicus 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. & patet. ex eo, quod mutuans in casu non reportat

lucrum;

lucrum; sed præcise quærit sui damni reparationem, obligando Mutuatarium ad id, ad quod jam tenetur ex jure naturæ. Vide Molinam disp. 394. de Contract.

MENSE MAII.

CAS. I. *Silvicula putans concubitum cum bestia esse peccatum veniale, modo coivit cum ove, nunc cum capra, modo cum asina. Q. An possit absolvi a simplici Confessario.*

Respondeo cum distinctione. Vel Silvicula talem concubitum putavit venialē, cum aliqua tamen suspicione, aut alia cogitatione de gravitate actionis: vel id putavit sine ulla suspicione &c. Si enim putavit venialem sine ulla suspicione &c. Dico, Silviculam posse absolvi a simplici Confessario, quia tunc peccavit solum venialiter, cum in tali concubitu unice apprehenderet venialem malitiam, quæ sola proinde illi fuerit voluntaria & culpabilis. Si postea eum putavit venialem, sed cum aliqua suspicione, aut &c. dico; quod licet possit speculative defendi, Silviculam adhuc esse absolvibilem a simplici Confessario; in praxi tamen non est ab hoc absolvendus; cum enim in casu sit eadem operatio bestialitatis, & quidē cum voluntarietate sufficiente ad mortale, sive facta sit cum ignorantia vincibili,

sive

ſive ſcienter; ſequitur, quoad ſubſtantiã eſſe idem peccatum, (ignorantia enim in his operationibus non mutat ſubſtantiã actus, quam malitia primariò conſequitur) ac proinde ſicuti Silvicula nequiret abſolvi à ſimplici Confeſſariò, ſi coiviſſet cum ove &c. ſciens id eſſe mortale; ita neque poteſt ab eodêm abſolvi, ſi illud commiſit cum ſuſpicione aut &c. de gravitate actionis; nam eſt certum peccatũ mortale beſtialitatis. Vide Merollám de Volunt. & Involunt. c. 1. dub. 13. n. 661. Puteob. q. 3. art. 4. §. 10. n. 4.

CAS. II. *Fœmina à pluribus honeſta reputata, ſed vera Meretrix ab uno accepit exceſſivum pretium pro turpi ſui corporis uſu. Q. An teneatur illum exceſſum reſtituere.*

Reſpondeo cum diſtictione. Vel Fœmina accepit tàlem exceſſum, illum extorquendo per fraudem, aut dolum; & tunc dico cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 62. art. 5. ad 2. ipſam teneri eumdem reſtituere; dans enim in caſu non dedit volens, ſed deceptus. Vel eum accepit ſine ulla extorſione doloſa, & fraudulenta ac vigore contractùs innominati, *Facio ut des*, ſeu pacti initi de tali pretio ſolvendo; & tunc dico, ipſam non teneri talẽ exceſſum reſtituere, ſi dans potuit de eô

libere

libere disponere: nam ex una parte dans in casu dedit volens, ex alia quamvis hoc ei datum sit ob rem illicitam, tamen ipsa datio non est illicita, præcipue cũ valde probabile sit, opus voluptuosũ, ob quod talis traditio facta est, non habere pretiũ determinatum. Petrus Navar. de Rest. l. 4. cap. 2. n. 118. & seq. Lessius. & alii.

CAS. III. *Sempronius, pluribus debitis gravatus, non potest suis Creditoribus satisfacere, ni imminuat convenientem dotē filiabus. Q. An id facere teneatur, ut possit satisfacere Creditoribus.*

Respondeo cum distinctione. Vel agitur de diminutione aliquali; & tunc dico cum communi DD. Sempronium ad id teneri: sicuti enim ob talem finem tenetur minuere expensas circa victum, vestitum, & manutentionem familiæ; ita etiam circa Dotem filiarum, ne Creditores damnũ absolutè vel saltim tantum damnum patiantur. Vel agitur de diminutione notabili; & tunc subdistinguo: Vel per hanc diminutionem, judicio prudentum, mutatur status ejusdem, & filiarum, ab eis juste acquisitus; & in hoc casu dico, Sempronium non teneri ad hanc diminutionē notabilem; ut enim dicitur in tractatu de Restitutione: *Nemo tenetur decidere a proprio statu juste acquisito, ut satisfaciat* Credi-

Creditoribus. Idemque dic, si diminuta filiabus Dote, hæ Sponsum nō invenirent, cum periculo amittendi pudicitiam; nam bona ordinis inferioris non sunt restituenda cum periculo amittendi bona ordinis superioris. Vel per dictam diminutionem non mutatur status, aut mutatur injuste acquisitus; & tunc certe ad eam tenetur Sempronius, cum amplius non interveniat causa excusans, sitque se ad verum proprium statum reducere. Lessius lib. 2. cap. n. 29. & alii comm.

MENSE JUNII.

CAS. I. *CAmillus per plures annos se impotentem expertus ad consumationem Matrimonii, ad simplicem contactum Reliquiæ cujusdam Sancti, cum qua fuit benedictus, illico factus est potens. Q. An libere vacare possit operi conjugii cum propria Sponsa.*

Respondeo negative; si post requisitū triennale experimentū, postque abhibita consveta remedia, sive realia, sive spiritualia, nunquam potuit Matrimoniū consummare. Ratio est, quia in hoc casu intervenit moralis certitudo, quod nulliter contraxerit cum propria Sponsa, ob impedimentum dirimens impotentiæ perpetuæ antecedentis, sufficienter manifestatæ per hoc, quod semper frustranei fuerint

fuerint omnes nisus, non obstante valido remediorum subsidio; & quia nonnisi per miraculum hæc fuerit ablata. Quare ut Camillus possit libere, ac licite vacare operi conjugii cum Sponsa, debent rite mutuum renovare consensum in Matrimonium, nempe secreto inter se, si impedimentum erat occultum; coram Parocho vero ac testibus, si notorium erat, & publicum; nam potentia de novo acquisita non reddit validum Matrimoniū, ab initio nullum, & irritum. Giribaldus de Matrim. cap. 19. dub. 11. Aliique passim.

CAS. II. *Occasione cujusdem publicæ licitationis Aurelius rogavit amicos volentes emere, ne plus offerrent certa quantitate, ut ipse rem illam emeret pretio infimo; uti de facto contigit. Q. An peccaverit contra justitiam, & teneatur ad aliquam restitutionem.*

Respondeo affirmative cum Soto de Just. & Jur. lib. 8. quæst. 2. art. 3. Ratio est. quia licet Dominus rei venalis hanc adhuc vendiderit pretio justo, fuit nihilominus injuste ab Aurelio damnificatus. Ex quo enim Aurelius eo modo se gesserit cum volentibus emere, violavit jus, quod ille habebat, ne retraherentur emptores volentes emere pretio supremo,

vel medio, ipſumque coegit vendere rem pretio infimo; facta enim tali conſpiratione, & monopolio cum amicis, non remanſit pro re aliud pretium, præter infimum, quod pro ea offerretur. Propterea cum privata auctoritate id ab Aurelio fieri nequiverit, factumque reſultaverit in jacturam, & damnum Domini rei venalis, dicendum, quod Aurelius, titulo damni illati, peccaverit contra juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, nēpe, ad refectionem ejuſdem, judicio prudentis taxandam.

CAS. III. *Petrus mutuat Joanni Scuta centum, ſe obligans ad ea non repetenda per duos annos. Q. An ultra ſortem poſſit aliquid accipere ratione aſſumptæ obligationis non repetendi talem ſummam per biennium.*

Reſpondeo, ob tale motivum non poſſe Petrum aliquid accipere ultra ſortem; damnata enim eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio 42. in n. *Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus:* quæ, ut patet, correſpondet Caſui propoſito fere in terminis. Unde ſi Petrus habeat occaſionem prōptam, aut ſpem vere fundatam proxime applicandi talem pecuniam cum lucro, vel

vel etiam si ea opus habet, aut quamprimum opus habebit, ad sibi præcavendũ aliquod damnum; potest quidem convenire cum Mutuatario, mutuũ ab eo potente, ut ipsi tale lucrum compenset, seu damnum reficiat, ut supra tradidimus in responsione ad tertium Aprilis: at pro mera obligatione sortem expectandi per duos annos, nil potest ultra sortẽ accipere, eo quia talis obligatio, si attente consideretur, aliud non est, nisi quædã prorogatio mutui, & sic quoddam novũ Mutuum virtuale, pro quo, sicuti neque pro formali nil accipi potest; cum utrũque sit verum Mutuum; & lucrum ex alterutro perceptum ratione mutui sit vera usura. Viva ad d. prop.

MENSE JULII.

CAS. I. *Confessarius simplex, audita Confessione Patris, qui se accusavit de peccato carnali commisso cum famula, successive audit & Filium hoc idẽ cum eadem perpetrasse. Q. An Filium possit absolvere; & absolutio Patri impertita sit valida.*

Respondeo ad primam partem cum distinctione. Vel Filius exponit a semetipso se peccasse cum Affine in primo gradu; & tunc est manifestum, non posse Confessarium eum absolvere, quia exponit

nit inceſtum formalem reſervatum. Vel Filius tantum exponit ſe peccaſſe ex gr. cum libera, & tunc dico, Confeſſarium poſſe, ac debere ipſum interrogare, an ea ſit ipſi propinqua (eſt enim interrogatio, quæ communiter fieri ſolet, ac debet, ſingulis Pœnitentibus ſe accuſantibus aliquo ſimili peccato, unde non ingerit ſuſpicionem fractionis ſigilli;) & ſi ipſe negat, dummodo ſit aliunde diſpoſitus, debet illum abſolvere, non obſtante notitia habita in præcedenti Confeſſione; *Nihil enim minus ſcimus, quam id, quod ex confeſſione ſcimus*, ut ajebat Div. Bernardus; & ſtrictior eſt obligatio ſigilli Sacramentalis iſtâ Confeſſionis integræ. Si vero affirmat ut ſupra, deneganda eſt illi abſolutio ut ſupra. Vide Puteob. de Pœn. q. 5. art. 10. n. 8.

Reſp. ad ſecundam partem: Abſolutionem Patri impertitam eſſe ſolum invalidam, ſi ipſe ſcienter peccaſſet poſt Filium, & culpabiliter talem circumſtantiam omiſiſſet. Unde ſi ipſe peccavit cũ Famula ſolummodo ante Filium, vel poſt ipſum, ignorans tamen ejuſdem peccatũ, tunc Abſolutio ipſi impertita eſt valida, nam in iſto caſu inceſtus eſt materialis præciſe: Ita comm.

CAS. II. *Uxoratus defloravit ſuam propriam*

priam Consobrinam. Q. An sine dispensatione possit ab Uxore debitum exigere.

Respondeo affirmative, etsi cum ea copulam compleverit. Ratio est, quia in jure est quidem vetita Viro exactio debiti conjugalis, si cum consanguinea Uxoris scienter fornicatus fuerit; at vetita ibidem non legitur talis exactio, quando Vir scienter fornicatus est cum Consanguinea propria, ut patet ex cap. 1. *de eo, qui cognov. Consangv.* ubi dicitur: *Si quis cum Filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a Matre* id est, a propria Conjuge, quæ, respective ad Filiastram Viri, est Mater) *debitum petere potest.* Idque Theologi communiter tradunt, sive Vir cognoverit Uxoris consanguineã in primo, sive in secundo gradu; & vice versa si Uxor scienter fornicata sit cum Consanguineo Mariti in primo, vel secundo gradu, ut videre est apud Giribaldum; cum ergo noster uxoratus non defloraverit Consobrinam Uxoris, sed propriã, dicendum, quod sine dispensatione possit ab Uxore debitum exigere.

CAS. III. *Vovit Titius Religionem ingredi; at post aliquot dies bladitiis puellæ illectus, nuptias illi promisit. Q. Quamnam promissionem teneatur implere.*

Respondeo, per se loquendo, Titium

teneri primam promissionem implere ingrediendo Religionem; si enim vovens Religionem emissis Sponsalibus, per se adhuc tenetur ad Religionis ingressum, eo quia, ob majorem status perfectioné, Sponsalia jure positivo habent inbibitam hanc conditionem *nisi Religionem elegero*; a fortiori debet votū Religionis impleri, quando Sponsalia præcesserunt: ita comm. Dixi postea *per se loquendo*, quia per accidens evenire potest, quod, non obstante Voto prius emisso, teneatur ducere puellam: puta si voti insciam dicta promissione ad copulam adduxisset, & ni eā ducat, gravia oriantur scandala, jurgia, rixæ &c. tunc enim; si aliter non posset his obviari, teneretur certe, non obstante Voto, illam ducere; cum enim tunc ingressus in Religionem non sit amplius majus bonum, cessat voti obligatio. Ita Girib. de Voto cap. 6. dub. 1. n. 4.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. *Renuentibus Emptoribus tantum solvere Mercatori pro mercibus, quantum ipse prætendit, solet hic frequenter mentiri, ac falso jurare, talem ac talem speciem mercium sibi pluris constitisse; unde fit, ut illi oblatum pretium augeant. Q. An tuta conscientia Mercator possit istud accipere.*

CAS. II. Q. 2. *An si hic Mercator sæpius correptus non se emendat, debeat Confessarius illi imponere, ut Mercaturæ officium deserat.*

CAS. III. Q. 3. *An si dolo, vel fraude eos inducat ad solvendum pretium justum quidem, sed supremum, teneatur aliquid restituere Emptoribus.*

Resp. Ad primum cum distinctione. Vel tale pretium augetur intra limites pretii justi; vel supra hujusmodi limites. Si supra: dico, Mercatorem non posse tuta conscientia istud accipere, quia sic non servatur æqualitas inter datum & acceptum, prout exigit justitia commutativa. Propterea in foro conscientiæ debet restitui excessus; nam in conscientia nemini licet proximum suum, ne in obolo quidē, decipere. Si vero continetur intra limites pretii justi; dico, Mercatorem posse &c. quamvis enim peccet mentiendo, & pejerando, tamen non peccat accipiendo; siquidem ex una parte jam notum est, hasce querelas esse consvetas vendentium cantiones, quibus proinde fides habenda non est; unde sibi imputet, qui credit, inquiunt Rebellus & Castropalaus; ex alia acceptum in casu est æquale dato, adeoque lege justitiæ conforme. La Croix de Empt. & Vend. num. 956.

Resp.

Resp. Ad secundum, quod si pluries illi assignavit salutares pœnitentias & opportuna remedia, eique aliquando distulit Absolutionem ad finem emendationis, nec unquam profecit, debet illi imponere, ut ad tempus Mercaturæ officium deserat. Ratio est, quia in tali casu officiū Mercaturæ dici pro eo amplius nequit exercitium indifferens, & occasio remota, sed proxima, ob frequentem lapsum in mendacia ac perjuria: quemadmodum ludus dicitur vera occasio proxima blasphemiæ illi, qui ludens frequenter blasphemat. Hinc sicuti hujusmodi ludenti Confessarius debet, saltem ad tempus, vetare ludum, si expertus est reliqua remedia esse inefficacia ad ipsum retrahendum à blasphemiis: ita saltem ad tempus debet Mercatori officium interdicere Mercaturæ, si reliqua remedia expertus est inefficacia ad ipsum retrahendum à mendaciis, & perjuriis; nam ipsum relinquere in tali Officio cum illo pravo habitu nihil diminuto, esset ipsum relinquere in formali periculo proximo relapsus, adeoque in peccato, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Duarte Expos. Prop. damn. v. occasio proxima q. 447. Antonin. de Pœnit. quæst. 6. pag. 540.

Res-

Reſp. Ad tertium affirm. cum Caſtropalao, quem citat, ac ſequitur La Croix l. c. n. 955. tum quia inductus per fraudē, ac dolum ad ſolutionem pretii ſupremi, utpote deceptus, non cenſetur voluntarie in iſtud conſenſiſſe, tum quia per hunc procedendi modum læſum eſt jus, quod habebant emptores emendi ab aliis pretio infimo, vel medio, eamdem mercem. Hinc tantum Emptoribus refici debet, quanti minoris emiſſent ab aliis, ſi fraus ac dolus Mercatoris iis innotuiſſet.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. *Colonus partiarius anno elapſo, cum egeret, ſurripuit Domino tres corbas tritici, animo tamen, cum primum poſſet, illas ſolvendi. Nunc ad pedes Confeſſarii provolutus inquirit, juxta quam æſtimationem teneatur Domino ſatisfacere, cum anno ſuperiore pretium tritici modo creverit, modo decreverit. Q. Quid illi reſpondendum?*

Reſp. Quod tenetur Domino ſatisfacere juxta illam æſtimationem, juxta quā veriſimiliter is paſſus eſt damnum, ſeu intereſſe; ſic enim ſervatur æqualitas, ad quam obligat juſtitia commutativa, cujus reſtitutio eſt actus. Bonacina de reſt. in gen. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 11. n. 4. Quare ſi Dominus vendidiſſet, aut conſumpſiſſet illud triticum tempore ſummæ

æstimationis, juxta illam restituat; juxta mediocrem vero, vel infimam, si tempore hujus, vel illius facta ab eo fuisset consumptio, demptis expensis, quas circa idem Dominus fecisset. Et si incertum est, cujusdam æstimationis tempore id fuisset à Domino peractum, plures tradunt satisfaciendum Domino juxta majorem æstimationem; quia in dubio melior est innocentis conditio. Magis tamen arridet sententia Turriani, Sporer, aliorumque satisfactionem reducentium ad æstimationem mediam, habito respectu ad copiam, vel penuriam, & qualitatem rei, emptorum &c. detrahendo aliquid ratione expensarum, & incertitudinis; si enim Dominus poterat vendere pretio summo, poterat etiam pretio infimo. Turrian. in 2. 2. D. Tho. to. 2. disp. 10. dub. 4.

CAS. II. *Cajus, non obstante omni possibili diligentia adhibita, certo scire non potuit, an suo consilio efficaciter influxerit in homicidium perpetratum. Q. An debeat se credere irregularem: ac teneatur ad reparationem damnorum.*

Resp. Affirmative. Quoad primam partem, & negative quoad secundam. Ratio pr. par. desumitur à communiter contingentibus; cum enim regulariter pravum consilium operetur, & non nisi magna cũ difficul-

difficultate retrahi valeat totalis ejus influxus; hinc fit, ut, dubio non obstante, an vere influxerit, consilium adhuc influxisse præsumatur. Sayrus de Irregul. lib. 7. cap. 3. n. 2. Avila, & comm. Cæterum si scire cupias, quandonam proprie censeatur non influxisse, dico, id evenire 1. quando homicida consilii tempore jam erat adeo paratus ad occidendum, ut nullā ex eo determinationem acceperit, nec ullum inde motivum sumpserit citius, facilius, crudelius, firmiusve homicidium perpetrandi: secundo cum Consulens ante homicidium, consilii motiva aliis motivis contrariis elidere conatus est, ac precibus etiam importunis nisus est ab eo retrahere volentem occidere: tertio, si videns se his non proficére, juxta charitatis, ac prudentiæ regulas, occidendum monuerit, ut sibi caveret &c. Vide Continuatorem Tournelli de Irreg. par. 3. c. 1. art. 1. ☰ Ratio postea secundæ partis est, quia nemo tenetur ad reparationem certam pro puro dubio de damno illato, uti tradidimus ad 3. Julii 1749.

CAS. III. *Pœnitens protulit mendacium in Confessione, Quid de hac judicandum?*

Resp. Cum distinctione. Vel tale mendacium fuit cum advertentia, & circa materiam gravem, seu necessariam, puta,

circa

circa numerum lethalium, circumſtantiã mutantem ſpeciem, aut aggravantem, vel minuentem in infinitum, circa occaſionẽ proximam, conſvetudinem &c. & tunc dico judicandum, eam eſſe nullam, & ſacrilegam, ni animi perturbatio, ignorantia, vel ſimplicitas ſic confitentem excuſet; caret enim neceſſaria fidelitate, ſeu integritate. Vel tale mendacium fuit absq; advertentia, aut circa materiam levem, ſeu non neceſſariam; & tunc dico, judicandum eam validam eſſe, ni forte agatur de veniali, de quo tantum Pœnitens ſe accuſet, conſcius ſe illud non commiſiſſe (in quo caſu fit Sacramentum nullum defectu veræ materiæ,) nam neque irrogatur gravis injuria Sacramento, neque variatur notabiliter judicium Confeſſarii, ſi expoſita ſit alia materia, de qua vere doleat. Lugo de Pœn. diſp. 14. n. 10. Diana, Roſignolus, & alii, à fortiori dicentes, valere Confeſſionem, ſi mendacium in ea prolatum ad ipſam non pertineat.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *VIllicus habita à Confeſſario pœnitentia confitendi per annum ſemel in menſe, per primos tres menſes eam à ſemetipſo ſibi commutavit in recitationem unius integri Roſarii pro qualibet vice; nunc petit ab alio Confeſſario commutationem*

nem ejuſdem. Q. 1. an Pœnitens ſibi potuerit Pœnitentiam commutare.

CAS. II. *Q. 2. an Confeſſarius commutare poſſit pœnitentiam ab alio impoſitam.*

Reſp. Ad primum negative cum Laurea, Gobat, & communiori. Ratio eſt, quia commutatio Pœnitentiæ & eſt actus jurisdictionis, & actio ſacramentalis, cujuſmodi plane non eſt commutatio ſibi facta à Villico, quamvis etiam facta fuiſſet in melius. Nec obſtat paritas de voto, quod factum à vovente, poteſt ab eodem mutari in aliquid evidenter melius; cum enim hoc fuerit propria voluntate emiſſum, propria etiam voluntate poteſt in melius commutari; non vero, ubi ſatisfactio impoſita eſt à Confeſſario, qui tale opus determinatum impoſuit. Et quamvis hic, ſi fuiſſet ab initio rogatus pro mutatione operis, fortaſſe indulſiſſet; tamen ſtatim ac ipſe impoſuit, & Pœnitens acceptavit tale opus, jam hoc habet vinculũ ſatisfactionis Sacramentalis; ſicque non adeſt amplius locus præſumendi, quod ille conſentiat in ſubſtitutionem alterius operis. Puteob. quæſt. 4. art. 5.

Reſp. Ad ſecundum, poſſe Confeſſarium ex juſta cauſa, nempe neceſſitatis, aut utilitatis ſpiritualis Pœnitentis, commutare in æqualem, imo etiam (interve-

niente tamen graviori motivo) in minorẽ pœnitentiam ab alio impositam; per hoc enim non exerceret imperium in primum Confessarium, sed in Pœnitentem, qui illi se ipsum, suumque statum, & conscientiam subdidit; nec proprie revocat sententiam prioris, sed suam profert; hoc enim posterius judicium non instituitur ad derogandum priori, sed ad consulendum Pœnitenti, in cujus favorem talis iteratio fit; neque hoc totum efficitur per modum appellationis, sed per modum novi judicii, æqualis judicio præcedenti, quorum judiciorum neutrum adversatur alteri, cum secundus se habeat tanquam successor prioris Confessarii in eodem tribunali, ut cum Suarez disp. 38. sect. 10. & Duardo disp. 9. sect. 7. de Pœn. tradunt frequenter Auctores. Nec per hoc primum Sacramentum remanet mutilum, & imperfectum; si enim duplex pœnitentia imponitur in novo judicio, prima est pro præcedenti substituta, altera pro præsenti; si vero imponitur una tantum, hæc applicatur, & valet tam pro præcedenti, quam pro præsenti. Et hactenus dicta intelligo, quamvis prior pœnitentia fuisset imposita ab habente potestatem in reservata, & commutatio fiat à Confessario simplici, cum enim cessaverit reservatio,

rio, per hoc, quod peccata fuerint à primo Confessario absoluta, nil remanet, ratione cujus secundus Confessarius non possit suum efformare judicium. Vasquez, & alii.

CAS. III. *Mulier periculosè ægrotans, stante probabilitate, quod fœtus, quem in utero gestabat, nondum esset animatus, pharmacum sumpsit, & procuravit abortum. Q. An licite.*

Resp. cum distinct. Vel procuravit abortum directe, nempe, sumendo pharmacum ea intentione, ac eo fine, ut sequeretur abortus: & tunc certum est illicite eam id præstitisse; nam si illicitum est id præstare, quando est moraliter certum, quod fætus adhuc est inanimatus, ut post damnatam 34. proposit. de abortu ab Innocentio XI. tradunt Giribaldus de homic. dub. 11. aliique comm. à fortiori erit illicitum id præstare, quando est solū probabile, quod fætus nondum sit animatus; cum in hoc casu id facere, sit se exponere formali periculo homicidii. Vel procuravit abortum solum indirecte, quatenus pharmacum sumpsit ordinatum ad sanitatem, licet per accidens ex illo timeretur secuturus abortus; & tunc dico licite id ipsam præstitisse: quamvis enim in

nullo casu licitum sit directe occidere innocentem; licitum tamen quandoque est aliquid agere, ex quo per accidens, & contra intentionem innocens incurrat grave aliquod periculum; ut bene exemplificat Girib. l. c. n. 146. hoc enim non est intendere illi malum, sed tantum permittere, ut illi immineat, ac interim uti jure suo.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. *Absente Parocho Capellanus monetur, infirmum paulo ante confessum gravius ægrotare, & quamprimum decessurum. Propterea, ne ille decedat sine Viatico, & extrema Unctione, cito sumit Vasculum Olei Infirmorum, & de Ciborio Pyxidem, ac celeri gressu currit ad hæc Sacramenta illi ministranda. Q. An isto casu liceat currere gestando Eucharistiæ Sacramentum.*

CAS. II. Q. 2. *An si esset ad Altare, liceret ei; ob idem præstandum, Missam interrumpere.*

CAS. III. Q. 3. *Quid agendum Capellano, si ante Eucharistiæ sumptionem vellet infirmus denuo confiteri.*

Resp. Ad primum negative. Ratio est, quia hic agitur quidem de ministrandis infirmo duobus Sacramentis, quorum utrumque potest illi multum prodesse; at non agitur de ullo Sacramento necessita-

tis.

tis. Imo in caſu curſus formalis eſſet indecens ob realem præſentiam Corporis Chriſti, ante quod devotio, & reverentia adſtantium non parum etiam minueretur, ſi illud præ manibus geſtantem viderent currere; nam ſtante conſvetudine in contrarium, id admirationem cauſaret, ac riſum. Propterea Poſſevinus de Offic. Cur. cap. 5. n. 37. ait, quod Curatus vocatus de nocte, vel de die, cum magna inſtantia ad infirmum, tenetur quidem currere, ſi alias infirmus moreretur ſine Confeſſione, aut ſine Baptiſmo, cum iſta ſint Sacramenta neceſſaria; in aliis autem functionibus ſatis eſſe, quod Parochus feſtinet, quia non ſunt abſolute neceſſaria. Et quod dicitur de Curato, valet in hujus abſentia, de Capellano in ſubſidium conducto. Vide Poſſevinum toto illo cap. hoc enim legiſſe juvabit.

Reſp. Ad ſecundum cum diſtinctione. Vel Infirmus eſt in ipſa Eccleſia, ſeu prope Eccleſiam; & in hoc caſu dico, etiam poſt Conſecrationem licere Capellano, ob idē præſtandum Miſſam interrumpere; quia tunc ex una parte interruptio modica eſt; ex alia ingens utilitas Sacramentorum præbet ſufficientem cauſam tam brevi interruptioni. Vel Infirmus eſt in loco aliquantum ab Eccleſia remoto; & tunc dico,

non licere, ob idem præstandum, Missam interrumpere, quia cum supponatur paulo ante confessus, quod hæc non adest urgens necessitas; ideoq; prævalet obligatio prosequendi Missam eamq; continuandi, ob reverentiam Sacrificii. Diversimode tamen deberet se gerere Capellanus in hoc secundo casu, si Infirmus confessus non fuisset, nec posset confiteri; nam tunc si capax esset Extremæ Unctionis, vel etiam Viatici, nec adesset alius Sacerdos, non solum posset, sed deberet pergere etiam post consecrationem ad ipsi ministrandum Viaticum vel Extremam Unctionem, ut moribundus ex attrito fieret contritus virtute Sacramenti, & sic salvaretur: ita cum Zambrano, Tamburino, & Capeaville, Quartus in Rubr. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 3. dub. 3.

Resp Ad tertium. Capellanum hoc in casu reposita pyxide super parvum tabernaculum, vel alium decentem locum ibi paratum, debere ad Infirmum accedere, ipsumque audire quoad totam Confessionem, si hæc sit brevis; si vero hæc longa futura sit, debet ipsum monere, ut de gravibus, quæ menti occurrunt, se accuset, cum dolore universali de omnibus & accusatione generali de reliquis proponens ea postea singillatim confiteri, si possit;

ſit; ſtatimque illum abſolvat, ac poſtea Euchariſtiam miniſtret, prout fieri ſolet in hiſce circumſtantiis. Sic enim, & providetur Infirmo, & obviatur ſcandalo. Quartus l. c. Rotarius, & comm.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. *BErta uxor Sempronii ignorans infantem eſſe filium proprii Mariti, ortum ex Concubina, ipſum tenuit ad Baptiſmum. Q. An contraxerit Cognationem ſpiritualem ſive cum ipſo infante, ſive cum Marito, & Concubina.*

Reſp. In hypotesi, quod habuerit animum exercendi munus ab Eccleſia inſtitutum, nempe verum officium Matrinæ, ipſam contraxiſſe cognationem ſpiritualem ſive cum Infante, ſive cum Concubina; probabilius tamen non cum Marito. Ratio, quoad Infantem, & Concubinam, ex eo colligitur, quod ſtatim ac habuit prædictum animum, nil aliud deſiderari videtur ad ſpiritualem cognationem cum iis contrahendam: hæc enim ex inſtituto Eccleſiæ eſt quid acceſſorium ad munus Patrini, vel Matrinæ rite exercitum, ut in caſu. Hinc ſicuti habita carnali perfecta copula cum uno ex Conjugibus, inde reſultat affinitas cum Conſanguineis ejuſdem; ita ſecuta vera tentione ad Baptiſmum per legitimum exercitium Matrinæ,

inde

inde resultat spiritualis cognatio cum Infante, & illius Matre, seu Concubina. Ita Lopez par. 2. Instit. de Matrim. cap. 51. Giribald. tr. 10. c. 12. dub. 3. n. 27. & Alii comm. Ratio postea quoad Maritum desumitur ex responsione, quam dedit Alexander III. in cap. 2. de Cognat. Spir. Petitus enim Pontifex, an separandi essent Conjuges, quorum alter vel communem, vel alterius ex alio connubio filium, sive casu, aut ex necessitate, sive dolo baptizasset, aut coram Episcopo confirmandum tenuisset: Alexander III. c. *Si vir, vel Mulier* 2. de Cognat. Spirit. corrigens antiqua jura oppositum statuentia, definit minime distrahendum hac de causâ conjugium, ejusque jure uti Conjugibus permittendum, quia si ex ignorantia id factum, eos ignorantia excusare videtur: ut in terminis refert Natalis Alexander de Sacram. Matr. cap. 4. art. 5. reg. 10. Sed eadem ratio militat de tentione filii Mariti orti ex Concubina, quam Uxor fecit in nostro casu; ergo si in illo excusatur ab amissione juris petendi debitum, & à cognatione spirituali contrahenda, etiam in hoc.

CAS. II. *Sergius tenuit infantem tum in Baptismo privato, cum in Ecclesia, quando suppletæ fuere Cæremoniæ. Q. An ex hujusmod-*

jusmodi tentione contraxerit Cognationem ſpiritualem.

Reſpodeo negative. Ratio eſt, quia ad cognationem ſpiritualem contrahendam neceſſario requiritur, quod quis præſtet id, pro quo ex Eccleſiæ inſtituto contrahitur eadem cognatio. Jam vero id, pro quo ex Eccleſiæ inſtituto hæc contrahitur, non eſt tentio ad Baptiſmum utcũque, ſed ad Baptiſmum ſolemnem, ſiquidem ritus Patrini inſtitutus non eſt pro Baptiſmo privato, ſed tantum pro Baptiſmo ſolemni. Propterea cum non verificetur, quod Sergius tenuerit ad Baptiſmum ſolemnem, ſed tantum in privato, nec non in expletione ſubſequentium cæremoniarum, quæ pariter Baptiſmus ſolemnis non ſunt; dicendum, quod ex hujuſmodi tentionibus cognationem ſpiritualem non contraxerit. Ita Roſignol. de Baptis. q. 6. art. 5. & comm.

CAS. III. *Fortunius tenuit infantem ad Baptiſmum per procuratorẽ. Q. An etiam ex hac tentione orta fuerit Cognatio ſpiritualis; & an illam contraxerit Fortunius, an vero Procurator.*

Reſpondeo, ex hac tentione ſpiritualem cognationem fuiſſe contractam, eã tamen non contraxſſe Procuratorem, ſed Fortunium. Ratio eſt, quia ſæpius ita

declaravit

declaravit Sac. Congregatio Concilii, nẽpe in una Veronensi die 29. Martii 1582. & 15. Martii 1631. ut videre est apud Nicolium in suis Elucubr. Civil. lib. 1. tit. 10. impedim 4. vers. *an vero*, & apud Rebellum, dicentẽ, se inspexisse Decreta, quorum unum hisce verbis rem totam expedit. *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed Mandanti.* Vide eumdem Rebellum de Oblig. Just. post par. 4. cap. 2. n. 90. Ratio postea est, quia actus hic nõ attribuitur exequenti, sed Mandanti, ut recte inquit Naldus *Cognatio Spiritualis* n. 3. & patet paritate actus Matrimonii, pariter per Procuratorem contracti; non enim Procurator, sed Mandans fit Conjux & Conjugis obligationem contrahit. Idem ergo dici debet quoad spiritualem cognationem; præcipue cum hæc juxta Tridentinum contrahatur per solos designatos a Parentibus; uti est Mandans. Hinc valet in casu illa regula: *Qui per alium tenet, per se ipsum tenere censetur*, nam jura exprimentia tentionem, intelligenda sunt de tentione physica, vel morali, ut optime Anacletus in 4. Decr. tit. 11. num. 23. in fine.

INDEX RERUM.
Quæ hoc libro continentur locupletissimus.

A

Iubilæum.

224. C.

EXCOM-

nil

 tuti-

INDI-

MER-

C,

lares

S

Venditio

Series Annorum T: I. P: II.

Errores Corrigendi.

Nubilli lege nullibi pag. 6. Versu 20.
Acsolutionis. l. absolutionis. 20. V. 3.
Unllam l. nullam. 35. V. 14.
Paureriores l. pauperiores. 44. V. 25.
Jn casu l. in causa. 47. V. ult:
1908. l. 1598. 50. V. 6.
Natalio die illam l. natalitio die aliam 50. V. 18.
Jn genere mortis l. in genere moris 57. V. 18.
Ratio l. ratione 58. V. 9.

Factis

Faétis l. feftis 76. V. 13.
Omiſſo l. omiſſio 86. V. 26.
63. l. 93. 199. l. 109.
Jnchoato l. inchoatio. 145. V. 25.
Pætentiam l. pœnitentiam. 156. V. 8.
117. l. 217.
Honeſtai l. honeſtati 201. V. 26.
Deberint l. deberent 218. V. [illegible].
Davenit, l. advenit. 236. V. 29.
165. l. 265.
Sed. l. ſe ad hoc 259. V. 28.
Ad alter l. ad alteri. 261. V. ultimo.
Laneam l. lancem 262. V. 6.
Sacerdos l Sacerdotes 299. V. 18.
Contigenti l. contingenti 329. V. 28.

Ut liber hic liber Typica ſit labe : revolvens
Emenda potius menda, nec error erit.
Jnnocuè errantem vitioſum eſt volvere nunquam:
Hinc error culpâ multus utrâque foret.

Ad M. D. Gloriam
B. V. MARIÆ Honorem
Cultumq; Omnium Sanctorū.